



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Vniuersa Theologia Scholastica, Speculatiua, Practica**

Ad methodum S. Thomæ, quatuor Tomis comprehensa

**Tanner, Adam**

**Ingolstadii, 1626**

Quæstio II. De processione siue origine diuinarum Personarum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72856](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72856)

## QVÆSTIO II.

## De Processione siue origine diuinarum personarum.

S. Thomas I. p. q. 27. &amp; 41.

**A**bsoluetur hæc quæstio octo dubitationibus. I. An, quales, & quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra. II. An processiones personarum immediatè sint à naturâ seu essentiâ diuinâ; an per aliquam eius operationem, & qualem. III. Per quasnam operationes intellectus, aut voluntatis procedant diuina persona. IV. Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium Quo producendi personas, an ipsa productio. V. Quodnam sit principium Quo, & potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quisue terminus formalis eorundem actuum. VI. Vtrum processiones seu productiones personarum, sint actus voluntarij & liberi, an naturales, seu per modum natura. VII. An aliqua processio in diuinis sit vera & propriè dicta generatio. VIII. Vtrum sit in diuinis alia processio à generatione verbi; & in quo propriè à generatione differat.

## DVBIUM I.

## An, quales, &amp; quot sint in Deo processiones personarum, siue ad intra.

S. Thom. I. p. q. 27. a. 1. &amp; 5.

**E**gimus hætenus de absoluta & intrinseca ratione, essentia, ac veluti proprietatibus, & attributis communibus diuinarum personarum; sequitur nunc, vt earum originem inquiramus; siquidem, supposita absoluta cognitione rei, scire cupimus, vnde res illa sit profecta, seu quam originem habeat. Atq; huc spectat præsens quæstio, de processione & origine diuinarum personarum.

Qua in re, quod ad nominis notionem attinet, notandum primò, *Procedere* ex vinominis, nihil aliud significare, quam ab aliquo, modo quopiam prodire: qua ratione propriè, formaliter, & in recto non significat actionem in eo, à quo fit processio; sed vel passionem dumtaxat in procedente: quo modo dicimus calorem seu lumen procedere ab igne, vel sole; ex terra vel semine herbas; ex caussis denique suis effectus, quia efficiuntur, & ex potentia in actum reducuntur ab illis: vel actionem, in procedente, si suamet actione ab altero prodeat; idque vel per motum localem, de loco in locum; qua ratione dicitur quis procedere, ex aëdibus; vel secundum processionem cause in effectum; idque siue causa physica sit; qua ratione fabricum dicimus procedere ad fabricandum, seu moralis, quo modo consilia dicuntur procedere in sua euenta.

**3** Notandum secundo, tametsi verbum *procedere*, vt dictum, non sit verbum actiuum, seu accusatiuum, vt Grammatici loquuntur, sed neutrum; voculam tamen *processionis* adeò latè quandoque à Theologis accipi, vt non tantum significet quasi passionem procedentis, sed etiam actionem in eo, à quo fit processio: quare etiam duplicem distinguunt processionem, actiuam scilicet, quæ significantius dici poterat *processificatio*, & passiuam, quæ propriè ac simpliciter talis dicitur, & de qua etiam

præsens quæstio propriè instituitur, licet alias vna inferataliam: & vna concessa negari non possitaltera. Quo sensu etiam in præsentis quærimus: An sit in diuinis aliqua processio personarum, seu latius, An in Deo sit aliqua vera & realis processio ad intra, hoc est, quæ non transeat extra Deum in creaturas, sed maneat intra entitatem diuinæ substantiæ, adeoque an vere & reipsa aliquid in diuinis procedat ex aliquo. Vbi etiam vocula *procedere*, & processio vsurpatur communi significatu, non proprio, prout vni tantum personæ, nimirum Spiritui sancto, Ecclesiæ vsu attribuitur, vt dicitur dub. 6.

**4** Assertio I. In diuinis, vera, propria, & realis datur processio ad intra, secundum quam vna persona diuina procedit ab alia. Ita S. Thomas hic quæst. 27. artic. 1. aliique Scholastici cum Magistro in 1. dist. 13. & est de fide, definitum in omnibus Concilijs, speciatim in Nicæno, & Constantinopolitano primo, & habetur in omnibus symbolis, præcipue Nicæno, vbi de filio dicitur, *Deus de Deo, lumen de lumine, Deus versus de Deo vero, genitus non factus*: Et de Spiritu sancto, *qui ex Patre filioque procedit*. Idem constat ex omnibus scripturis, in quibus pluralitas personarum diuinarum asseritur, relatis quæst. præced. dub. 2. in quibus secunda persona dicitur filius, aut verbum DEI patris, & Spiritus sanctus spiritus Dei. Speciatim autem ipsum verbum procedendi seu prodeundi de personis diuinis vsurpatur. Eccli. 24. vers. 5. vbi de filio dicitur: *Ego ex ore altissimi prodiui*. Et Ioann. 8. v. 42. *Ego ex Deo processi, & veni*. Et de Spiritu sancto Ioann. 15. v. 26. *Paraclitici qui à Patre procedit*. Nec habet hæc assertio alios aduersarios, quam eos, qui simpliciter negant pluralitatem diuinarum personarum, vti sunt Sabellius, Arius, & alij noui ac veteres

Ariani,

Ariani, & Samofateniani, relati quæst. præceden-  
dub. 3.

5 Ratio sumitur ex dictis cit. quæst. præced. dub. 3. de pluralitate personarum diuinarum. Quamuis enim hæc veritas soliaratione naturali absolute non possit demonstrari; quia vt dictum ibidem dub. 2. pluralitas diuinarum personarum solum ex reuelatione innotescit, supposita tamen pluralitate diuinarum personarum, euidenter probari potest hæc veritas hæc ratione. Sunt reipsa plures personæ in Deo, vt ibidem probatum est: Ergo in Deo est vera, & realis processio personarum. Consequentia probatur. Quia si personæ plures essent in Deo, & nulla earum procederet ab alia, tunc omnes personæ ex se essent; ac proinde nulla inter eas esset oppositio relatiua; Ergo aut nulla inter eas foret distinctio; aut si nihilominus reipsa distinguerentur, distinguerentur secundum perfectiones absolutas, ac proinde etiam secundum essentiam: atque ita essent plures Dii: quod implicat contradictionem. Quæ ratione video etiam vti, quamuis ad aliud institutum, S. Thomam quæst. 33. art. 4. ad 4. Accedit, quod reipsa omnis distinctio personarum est penes oppositionem relatiuam: oppositio autem relatiua fundatur in processione producti à procedente: Ergo si processio non esset, nulla esset in Deo personarum distinctio vel pluralitas: Ergo cum sit vera & realis pluralitas personarum in Deo, vt probatum supponimus, cit. dub. 3. erit etiam vera & realis processio personarum.

6 Huc accedit ratio conuenientie, quam habet Sanct. Thomas hic cit. quæst. 27. artic. 1. Sicut enim secundum omnem actionem transeuntem, est aliqua processio ad extra, ita secundum omnem actionem immanentem, est aliqua processio ad intra; vt patet in intellectu; quicunque enim intelligit, inquit S. Thomas, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum; quod est conceptio rei intellectæ, ex vi intellectiua proueniens, & ex eius notitia procedens: quam quidem conceptionem vox significat, & dicitur verbum cordis, significatum verbo vocis: Cum ergo etiam in Deo sint eiusmodi actiones immanentes, puta intelligere & velle, vt probatum est disp. 2. quæst. 8. & 10. sequitur, etiam in Deo esse processionem secundum actionem eiusmodi immanentes & ad intra. Sed hæc, vt dixi, ratio per se non conuincit. Facile enim responderi posset, maiorem esse veram, nisi actio illa immanens sit tantum quasi grammaticalis, nec reipsa vilo modo distincta ab agente, vt reuera intellectio & volitio diuina, reipsa est eadem simplicissima entitas cum Deo intelligente & volente. Est ergo ratio hæc solum cuiusdam congruentie, vt dictum.

7 Assertio II. Processio hæc ad intra non fuit nisi alicuius personæ diuinæ à persona diuina. Ita supponit Sanct. Thomas cit. artic. 1. & Doctores in 1. dist. 13. & 29. & pater ex Scriptura & Concilio, quæ non nisi de processione personarum in Deo loquuntur, vt dictum asserit. 1. & quæst. 1. dub. 3. Ratio est: Quia cum hæc processio sit ad intra, hoc est, in ipso Deo, necessario esse debet alicuius entitatis diuinæ ab ipso Deo procedentis: Ergo aut essentia seu prædicati essentialis, aut personæ, siue prædicati relatiui: primum est impossibile; quia es-

sentia & essentialia non producantur: ergo fatendum est secundum.

8 Assertio III. Processio hæc personarum est simpliciter & absolute necessaria in Deo; ita vt per absolutam potentiam non potuerit non esse. Ita omnes Theologi cum S. Thoma loc. cit. & infra quæst. 41. artic. 2. & colligitur ex dictis. Quia pluralitas illa personarum est simpliciter & absolute necessaria in Deo; cum Deus secundum se sit ens vndeque necessarium, ex dictis disput. 2. quæst. 1. dub. 5. Ergo etiam processio personarum est simpliciter & absolute necessaria in Deo, quandoquidem sine hac processione, non potuit in Deo vilo modo, & per vliam potentiam, esse pluralitas personarum. Accedit, quod Deus non voluntate generatur; sed natura, vt inferius dicemus dub. 6.

9 Assertio IV. Processio hæc nec est causa in effectum; nec effectus ex causa, proprie loquendo; sed simpliciter termini producti à principio producente; ita vt vere ac proprie vna persona sit principium producens alterius. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 27. artic. 1. & communis Doctorum in 1. disp. 29. & est quoad rem ipsam de fide. Et prima pars est contra Sabellium, qui vt ibidem refert S. Thomas, dicebat, ipsum Patrem dici Filium; secundum quod carnem assumpsit ex virgine; & eundem dixit Spiritum Sanctum, secundum quod creaturam rationalem sanctificat, & ad vitam mouet. Sentiebat ergo, eatenus in Deo esse processionem; quatenus vna & eadem persona Patris procedebat tum ad carnem assumendam ex virgine; tum ad sanctificandam creaturam rationalem. *Cui tamen errori*, inquit S. Thomas ibidem, *repu- gnant verba Christi de se dictis Ioann. 5. vers. 19. Non potest Filius à se facere quicquam.* Vbi manifeste distinctio personæ inter Patrem & Filium indicatur, simulque significatur, Filium habere solum esse à Patre. Pluribus contra errorem Sabellii, omnem realem processionem ad intra negantis, disseruimus supra quæstion. præceden. dubi. 3.

10 Secunda pars, quoad rem ipsam, de fide quæque est contra Arium; qui dicebat filium esse creaturam, adeoque effectum Dei: Spiritum sanctum vero creaturam vtriusque; quod est, inquit Sanct. Thomas, *contra id quod dicitur de filio. 1. Ioann. ultimo. Vt simus in vero filio eius: hic est verus Deus.* Et de Spiritu Sancto dicitur 1. Corinth. 3. *Nescitis, quia membra vestra templum sunt spiritus sancti.* Templum autem habere solius Dei est. Vnde & in Symbolo Nicæno de filio dicitur. *Genitus, non factus.* Plura cit. dub. 3.

11 Tertia pars est communis contra Aureolum in 1. d. 7. part. 1. artic. 2. negantem personas produci; & constat ex iisdem Scripturis, & Symbolis; in quibus Filius sepius dicitur genitus; & personæ procedentes dicuntur productæ. Ratio est, Quia processio hæc non est per motum localem; quasi personæ diuinæ localiter prodierint ex Dec, Deus enim non potest moueri localiter, ex disput. 2. quæst. 5. dub. 1. præterquam quod motus hic localis supponeret existentiam, adeoque productionem personarum procedentium. Nec secur-

dum processionem causæ in effectum; procedere enim in Scripturis, & Conciliis, non tribuitur personæ aliam personam producenti ut sic, puta Patri; sed potius personæ productæ, puta filio genito; Spiritui sancto spirato, &c. Ergo est secundum processionem termini producti à principio producente. Siquidem plures personæ in DEO esse nulla ratione potuissent, nisi per processionem, & productionem unius ab altera, ut dictum asserit. 3.

12 Nec repugnat rationi primi principii creaturarum, ut est etiam filius, esse principium ex principio notionali; quia procedere à primo principio ut extraneum & diuersum, repugnat quidem rationi primi principii; sed non procedere ut intimum, & absque diuersitate, per modum intelligibilem: sed hoc potius aliquo modo includitur in ratione primi principii, sicut in edificatore & principio domus includitur conceptio suæ artis, seu verbum & conceptus operis efficiendi, ut bene respondet S. Thomas cit. art. 1. ad 3.

13 Quare autem personæ, à qua altera procedit, conueniat ratio principii, non autem causæ, & personæ procedenti ratio termini producti, non autem causati, iuxta consuetum modum loquendi latinorum Patrum, & Theologorum, rationem optime exponit Sanct. Thomas quæst. 33. articulo primo in corp. & ad 1. Quia [ principium, inquit, communius est, quam causa; sicut causa communius, quam elementum. Primus enim terminus, vel etiam prima pars rei, dicitur principium; sed non causa. &c. Principium enim nihil aliud significat, quam id, à quo aliquid procedit; omne enim à quo aliquid procedit quocunque modo, dicimus esse principium, & e conuerso. &c. At verò nomen causæ videtur importare diuersitatem substantiæ, & dependentiam alicuius ab altero, quam non importat nomen principii. In omnibus enim causæ generibus, semper inuenitur distantia inter causam, & id cuius est causa, secundum aliquam perfectionem, aut virtutem. Sed nomine principii vitium etiam in his, quæ nullam huiusmodi differentiam habent, sed solum secundum quendam ordinem. Sicut cum dicimus, punctum esse principium lineæ; vel etiam cum dicimus, primam partem lineæ esse principium lineæ. ] Ita S. Thomas. Ratio ergo Sancti Thomæ est, quia ratio causæ & causalitatis, proprie & in rigore includit ordinem ad effectum, intrinsicè in sua ratione includentem imperfectionem esse dependentis & limitati; adeoque diuersi saltem numero ab Esse causæ producentis, quam imperfectionem ex parte termini producti non importat ratio principii.

14 Vbi notandum primo, utrosque quidem tam Latinos, quam Græcos Patres, vocabulum effectus, multoque magis creaturæ à personis diuinis diligenter semper remouisse; attamen simul Græcos, etiam ubi de processione diuinarum personarum loquebantur, indifferenter vsos nomine principii & causæ (nimirum ἡ ἀρχὴ, καὶ ἡ αἰτία, siue ἡ αἰτία quod etiam de voce causatum, siue αἰτία referret Vasquez disputat. 139. cap. 6.) ut notauit Sanct. Thomas ibidem, & videre est apud

Basiliensium lib. 1. 3. & 4. cont. Eunomium, apud Nazianzenum orat. 29. Damascenum lib. 1. de fid. cap. 8. & 11. & in Concilio Florentino sess. vlt. in orat. Bellarionis cap. vlt. & alios.

15 Notandum secundò, id ipsum tamen nomen causæ, in hac materia, Latinis nec consuetum olim fuisse, nec iam esse licitum; ob dictam luperioris rationem, ut notauit Sanct. Thomas ibidem, ex communi Doctorum post Hilarium, lib. 4. de Trinitate, ubi negat, Patrem esse causam filii: tametsi ita aliquando improprie locutus videatur Augustinus lib. 83. quæst. 16. Neque Græci nomine causæ aliud intellexerunt, quam simplicem originem, seclusa limitatione, aut dependentia, ex parte termini, ut bene S. Thomas loc. cit. & Bellarion cit. cap. vlt. ubi ait: *Notandum, quod Sancti Doctores Orientales, etiam in diuinis vrantur nomine causæ & causati, largo modo, non quidem ut limitationem & dependentiam importat; sed prout emanationem & productionem à principio, eius, quod est à principio significat: & ideo me etiam ad Græcos loquentem huic nominibus vsus fuisse. Qui etiam cap. 3. aduertit, Cyrillum Alexandrinum, quantum Græcum, in epist. ad Hermiam, nomen causæ & causati in diuinis non admisisse.*

16 Notandum tertio referri quidem communiter ex Capreolo in 1. dist. 29. Aureolum in contrarium, quasi dixerit, Patrem dici posse Latine causam filii, & filium etiam Spiritus sancti. Sed hoc apud Aureolum non reperi, ut qui potius hac in re communem sententiam tueretur. Solum enim dicit, considerata præcisè ratione formali causalitatis, nihil repugnare, quo minus Pater posset dici causa filii, etsi repugnet ratione connotati. Verba eius sunt in prim. dist. 29. articulo secundo. *Principium & causa se habent, sicut concavum & sinum; sicut enim concavitas ad similitudinem non contrahitur per differentiam formalem, sed solum per materiam; sic considerata ratione originis, quam importat principium; prout de una persona dicitur in ordine ad alteram, contrahitur ad causalitatem ratione materia; ut intelligatur causalitas originationis, quorum unum differt ab alio in natura. Origo enim in distinctu per essentiam est causalitas; origo verò simpliciter est principium. secundum hoc ergo considerata formali ratione causalitatis, non repugnet nomen causæ Patri in ordine ad filium; sed considerata determinatione & characterizatione huius formalitatis per talem materiam, videlicet per diuersitatem essentia, causalitas repugnat diuini. &c. Ita Aureolus.*

17 Notandum quarto, nomen Principii non dici vniuocè de principio essentiali respectu creaturarum, & principio notionali respectu personarum, ut putauit Henricus Anglicus apud Aureolum loc. cit. articulo tertio. nec omninò æquiuocè, ut dixit Gabriel in prima. dist. vigesima nona, quæstione secunda articulo secundo, sed analogicè, ut docent Sanct. Thomas in 1. dist. 29. quæst. 1. artic. 2. Bonaventura artic. 1. quæst. 2. Scotus quæst. 1. Durandus quæst. 1. Capreolus quæst. 1. artic. 1. Marsilius in prim. quæst. 31. artic. 3. dub. 4. Vasquez disputat. 139. cap. 4. & 5.

Ratio est. Quia relationi reali & rationis nihil potest commune vniuocum assignari, vt cum Scoto rectè Vasquez loco citat. quicquid in contrarium dixerit Aureolus; nec tamen negari potest, esse aliquam similitudinem inter vtrumque principium; sic tamen, vt ratio principij prius & principalius conueniat principio notionali, vt pote priori, magis necessario, & nobiliori, quam essentiali; vt ex vteriori Vasquez ibidem, & Suarez lib. 6. cap. 5. post S. Thomam, Marfilium locis citatis, & Torrem q. 33. a. 1. etfi Durandus in 1. d. 29. q. 1. admittens analogiam, existimet potentiam magis proprie dici de potentia creatiua. Plura de voce principij quæst. 4. dub. 1.

18 Notandum quintò, ita quidem personis productibus alias personas, tribui rationem principij, vt tamen nomen principij personis procedentibus non tribuatur, vt docet S. Thomas quæst. 33. art. 1. ad 2. ex vsu Doctorum: *quia nihil, inquit, ad subiectionem vel minorationem quocunq. modo pertinet, attribuius Filio, vel Spiritui sancto, vt videtur omni erroris occasio: licet apud Græcos inueniatur de Filio vel Spiritu sancto dictum, quod principientur*. Quo modo etiam idem S. Thomas opusc. contra errores Græcorum cap. 1. refert Athanasium in Nicænâ Synodo dixisse, *spiritum sanctum non esse imprincipiatum*. Ceterum vox principiatum, inquit Vasquez cit. disp. 139. cap. 5. nec Latinis, nec Græcis vsitata est: ideo ab eâ abstinendum; tamen si illam admittat Durandus in 1. dist. 11. q. 2.

19 Assertio V. Hæc processio seu productio non est ex nihilo; sed de substantiâ personæ producentis. Est de fide ex Concilio Nicæno contra Arium, & Concilio Toletano I. & XI. in confess. fid. & Concilio Florentino sess. 18. & 19. & cap. *Damnus*. de Sum. Trinit. Et colligitur ex Scripturâ Psal. 109. *Ex utero ante luciferum genuite*. Et Ioan. 16. *De meo accipiet, &c.* Et infra, *omnia quæcunq. habet Pater, mea sunt; propterea dixi, quia de meo accipiet*. Idem docent SS. Patres, præsertim Augustinus lib. 18. de Trinit. cap. 19. Ratio est manifesta. Quia aliqui processiones istæ nec essent immanentes, nec processiones diuinarum personarum. Nec dubium, ijs verbis, *de substantiâ Patris*, significari & ordinem originis personæ productæ à producente, tanquam principio actiuo, & consubstantialitatem in naturâ, vt habet communis Doctorum sententia, iuxta S. Thomam quæst. 51. art. 3. & colligitur ex Augustino lib. 7. de Trinitat. & lib. de nat. boni cap. 26. & 27. De qua re plura inferius quæst. 2. dub. 5. in fine.

20 Assertio VI. Hæc processio in diuinis est secundum operationes non transeuntes, sed immanentes ipsius intellectus & voluntatis; adeoque per modum emanationis immanentis & intelligibilis. Est de fide in respâ; siue iam formaliter ac immediate per intellectum & voluntatem existat talis processio; siue materialiter, aut solum per quandam appropriationem, de qua re dubio sequentia-gendum. Ratio est. Quia processio hæc personarum diuinarum est ad intra, in ipso Deo; ita scilicet, vt persona procedens habeat eandem numero naturam diuinam, sitque adeo idem numero Deus, & in naturâ idem simplicissimum ens cum personâ, à

quâ procedit, vt dictum quæst. præcedent. dub. 7. & 8. Hoc autem fieri non posset, si processio hæc esset secundum operationem transeuntem; vt pote, quæ necessariò pro termino habet ens creatum extra Deum: cum autem sit secundum operationem immanentem intellectus, aut voluntatis, id rectè fieri potest. Quia hæ operationes, quo sunt perfectiores, eo magis vnum sunt cum ipso, à quo procedunt: *Quanto enim aliquid magis intelligitur, tanto conceptio intellectualis est magis intima intelligenti, & magis vnum. Nam intellectus secundum hoc, quod actu intelligit, secundum hoc fit magis vnum cum intellectu;* (idque nimirum ratione ipsius intellectus, seu verbi mentis.) *Cum ergo diuinum intelligere sit in fine (siue in termino) perfectionis, necesse est, verbum diuinum esse perfecte vnum (in essentiâ) cum eo à quo procedit, absq. omni diuersitate;* (saluâ tamen distinctione personarum.) Ita S. Thomas hic cit. q. 27. a. 1. ad 2. Similisque ratio formari potest etiam de voluntate. Quæ ratio tamen absolutè non conuincit, per operationem intellectus & voluntatis procedere aliquid ad intra à Deo; sed solum si quid procedat ad intra, non posse esse diuersum quoad essentiam; sed debere esse vnum cum suo principio in essentiâ: quod ex terminis ipsius quasi constat: alioquin enim id quod procedit, non erit Deus: ac proinde processio ipsa non erit ad intra; sed ad extra, terminata nimirum ad id, quod non est Deus, adeoque ad creaturam: cum in entibus realibus, inter Deum & creaturam, non sit medium.

21 Assertio VII. Duæ tantum sunt in Deo processiones personarum, vna secundum intellectum, altera secundum voluntatem. Ita S. Thomas ead. q. 27. a. 5. & Doctores cæteri omnes cum Magistro in 1. d. 3. Et est de fide certa, ex Scripturâ, & omnibus symbolis, è quibus duas tantum personas procedentes habemus, nimirum Filium & Spiritum sanctum; & vnam personam non procedentem, quæ est Pater. Vnde sumitur etiam ratio. Tot enim necessariò sunt processiones, quot personæ procedentes; siquidem processiones istæ distingui non possunt, nisi habeant distinctos terminos, qui sunt personæ diuinæ, vt dictum: sed duæ tantum sunt personæ procedentes, vt dictum; Ergo duæ tantum processiones. Præter quas processiones & personas procedentes, necessariò nihilominus admittenda est tertia persona ingenita, & nullo modo procedens. Siquidem, personæ illæ duæ à seipsis non possunt procedere; neque etiam ab ipsâ solâ essentiâ diuinâ, cum ab eis nullo modo distinguantur; cum tamen inter personas procedentes, & eam, à quâ procedunt, debeat esse realis distinctio, sicut processio realis est. Ergo necessariò vtraque, aut aliqua illarum procedit à personâ tertiâ. Hæc vero ab aliqua priori origine procedere nullo modo potest. Aut enim procederet ab essentiâ ipsâ; & hoc fieri non potest, ob dictam causam; aut à seipsâ, aut ab aliquâ personâ, quæ ab ipsâ procedit, & vtrumque implicat contradictiōnem, vt patet; aut ab aliquâ personâ quartâ, & hoc est impossibile, cum tres tantum sint personæ diuinæ, vt supponimus: Ergo suppositâ Trinitate personarum in diuinis, necessariò efficitur, duas tantum esse processiones in Deo. Et hæc est prima ratio huius assertionis, ex principijs fidei deducta.

2 2 Secunda ratio est S. Thomæ eodem art. 5. Quia processiones in diuinis consistunt debent secundum operationes immanentes, vt supra dictum: Cum igitur in Deo velut agente merè intellectuâ duæ sint tantum operationes immanentes, scilicet intelligere & velle, sequitur etiã duas tantum in eo processiones reperiri, & non plures.

Tertia ratio colligitur ex discursu totius articuli eiusdem. Nam si aliæ præterea assignandæ essent processiones, eæ deberent assignari, vel secundum attributum bonitatis; sed hoc immediatè non est operatiuum, nec operatio, vt patet; vel secundum attributum potentia; sed hæc non est operatiua ad intra, sed solum ad extra; ad quam proinde pertinet processio creaturarum, non personarum diuinarum: vel secundum alias, atque alias immanentes actiones intellectus & voluntatis, sed hoc non; quia secundum rem in Deo vna tantum est operatio intellectus, & vna voluntatis: vno enim simplicissimo actu Deus omnia intelligit, & similiter omnia vult; secundum rationem verò nostram, etsi plures in eo actus intellectus & voluntatis distinguamus, tamen id ad rem ipsam nihil refert, & possunt à nobis in infinitum plures & plures ratione distingui; nec tamen infinitas esse personas possibile est. Qui discursus S. Thomæ licet sint optimæ congruentiæ huius mysterij, tamen non sunt ita per se euidentes, vt omnino conuincant intellectum; præsertim quoad partem affirmatiuam, esse duas in Deo processiones; etsi quoad negatiuam, plures non esse, sint non parum efficaces.

2 3 Obiectiones contra processiones, & pluralitatem personarum in diuinis, dissoluimus supra q. 1. dub. 4. Illud solum hoc loco notandum ex Vasquez disp. 111. num. 1. falsò à quibusdam recentioribus tribui Richardo de S. Victore; quasi senserit, vtramque processionem esse per voluntatem; cum tamen lib. 3. de Trinitate à cap. 2. vsque ad 10. vbi de hac re disserit, solum probet, ex amoris perfectione, tres debere esse personas; qua ratione vtuntur etiam Alensis 1. p. q. 43. m. 5. & q. 45. m. 7. Bonaventura in 1. d. 2. q. 4. Maior q. 6. a. 1. certi interim; alteram processionem esse per intellectum, alteram per voluntatem. Refertur etiã Raymundus Lullus sensisse, stante quamuis Trinitatis mysterio, vnam tantum esse processionem in diuinis; quæ duo simul consistere non possunt, vt ex dictis colligitur, & fusius persequitur Suarez lib. 1. cap. 9. n. 7. Quid autem omnino de ipso, & ipsius doctrinâ sentiendum, incertum est, vt videre est ex ijs; quæ de hac re disserit Vasquez disp. 133. & dictum supra q. 1. dub. 2.

#### D V B I V M I I.

*An processiones personarum immediatè sint à natura, seu essentia diuina; an formaliter per intellectum & voluntatem.*

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1. & seqq.

1 C Vm dubio præcedenti constitutum quidem sit, atque inter Scholasticos indubitatum, pro-

cessiones diuinas esse secundum operationes, seu actiones immanentes, respondentes intellectui & voluntati; quo tamen modo id accipiendum sit, an ita, vt solum quadam accommodatione & appropriatione secundum eas operationes existant diuinæ processiones; an verò etiã propriè, formaliter, & immediatè per intellectum & voluntatem, seu per operationes intellectus & voluntatis diuinæ personæ procedant, à nonnullis in controuersiam vocatur. Et omisso temerario pronuntio Hieronymi Zanchij Calvinistæ, qui lib. 5. cap. vlt. de Trinitate dixit, Theologorum axioma, quod filius procedat per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem, esse temerarium; Durandus in 1. dist. 6. q. 2. à num. 6. negat filium propriè & formaliter produci in diuinis per actum intellectus, & Spiritum sanctum per actum voluntatis; eo quod intelligere & velle nec sunt productiones personarum; vt pure absoluta & communia omnibus personis; nec principia productionum; cum ex his actibus natura sua nihil aliud sequatur aut constituatur, iuxta Aristotelem 9. metaph. Quare etiam exclusi à Deo per intellectum intellectus & voluntate, cum omnibus actibus suis, adhuc esset, inquit, num. 10. in diuinis generatio filij & spiratio Spiritus sancti; ita quod hæc sunt in diuinis ex secunditate nature radicaliter; quam secunditatem habet ex sua infinitate, & non ex hoc, quod est intelligens, & volens.

Fatetur tamen inferius num. 18. per accommodacionem quandam rectè dici, filium procedere per modum intellectus, Spiritum autem sanctum per modum voluntatis; eo quod in natura intellectuali creata, quæ est imago quædam diuinitatis, prima emanatio est secundum intellectum; alia autem sequens, in qua terminatur emanatio materis infra naturam intellectualem, est emanatio pertinet ad voluntatem: quod pari etiam modo & proportione in generatione filij, & spiratione Spiritus sancti accidit. Et sic intelligenda sunt, inquit, quæ dicuntur circa materiam istam, de modo processionis diuinarum personarum, quoad verba Doctorum, quæ videntur innuere, quod intelligere & velle, seu diligere, sint rationes emanationum diuinarum. Hoc enim dicunt, solum secundum quandam adorationem ad ea, quæ inueniuntur in imagine creata. Sentit ergo Durandus, processiones diuinas esse immediatè per naturam, & non per intellectum aut voluntatem; ac proinde personas procedentes propriè ac formaliter non esse Verbum vel Amorem; sed tantum per quandam appropriationem, Similia habet idem Durandus in 1. dist. 10. q. 2. Tribuitur etiam hæc sententia à Gregorio de Valentia infra Gregorio Ariminensi; sed cuius diuersa fuit sententia, vt bene Vasquez disp. 111. cap. 1. & dicitur dub. 5.

3 Vt hæc res explicetur, notandum est, non esse in præsentia quætionem, an natura siue essentia diuina sit aliquo modo principium substantiale Quo, respectu productionis personarum; de hoc enim ex instituto agendum dub. 5. nec etiam, an productio personarum sit naturalis, & per modum nature, an voluntaria & libera; de hoc enim agitur dub. 6. sed solum an natura ipsa diuina sit immediatum principium Quo productionis personarum; ita vt secundum rationem nostram inter naturam diuinam, & personas procedentes, non intercedant medijs actus intel-

lectus

lectus & voluntatis, nec tanquam principium Quo  
producenti personas, nec tanquam ipsa productio  
personarum.

4 Assertio I. Processiones diuinæ licet ex ipsa fecunditate naturæ, velut ex se communicabilis pluribus personis, ortum habeant, immediatè tamen non sunt ab ipsa natura, quæ talis est. Hæc est communis sententia Doctorum contra Durandum, quam speciatim tradunt S. Thomas hac tota questione 27. vbiq; asserens & supponens, personas diuinas verè propriè, & formaliter procedere per intellectum & voluntatem, & art. 1. dum idem docuisset, addit in fine: *Et sic fides Catholica processionem ponit in diuinitate.* Idem docent Alensis 1. p. q. 42. memb. 2. & q. 43. memb. 3. art. 1. Bonaventura in 1. d. 10. & dist. 27. q. 1. Henricus quodlib. 6. q. 1. Scotus quodlib. 2. art. 2. & in 1. dist. 2. p. 2. q. 4. & dist. 27. q. 1. & 2. Richardus in 1. d. 2. q. 1. Gabriel dist. 7. q. 2. a. 1. 2. & 3. Marfilus in 1. q. 6. a. 1. Caietanus hic q. 27. a. 1. & recentiores omnes; qui etiam subinde graui censura Durandi sententiam notant; Gregorius de Valentia q. 1. p. 3. censet *temerariam, & contra fidem*; Suarez lib. 1. cap. 5. num. 4. ait, *esse temerariam, & erroris proximam, alienamq; a sensu sanctorum, & a modo loquendi Scripturæ*; Valquez disp. 1. 1. cap. 2. ait, *in modo saltem loquendi non differre sententiam Durandi ab errore Alogianorum, qui dicebant, non esse in Deo verbum propriè.*

5 Probatum assertio primò ex Scriptura, quæ cum filium vocat *verbum*, Ioan. 1. & 1. Ioan. 5. aperte indicat, eum procedere instar verbi dictione, adeoque per intellectum; cum verbum mentis non nisi dicendo per intellectum producat. Idem patet ex nomine *Sapientia*, quod eidem tribuitur, Prouerb. 8. Eccles. 24. Sap. 7. vbi etiam dicitur, *Ego ex ore altissimi prodij.* Os enim quasi Dei appellatur mens atque intellectus diuinus, quo nobiscum loquitur. Quod si, iuxta Scripturam, filius procedit immediatè per intellectum, Spiritus sanctus vtiq; procedet per voluntatem; non immediatè per naturam: tum vt seruetur proportio inter vtramque processionem, & operationem tam intellectus, quam voluntatis. Tum quia alias origine prior esset processio Spiritus sancti processionem filij; sicut ratione prior est natura, & essentia diuina, intellectu seu intellectione diuina; id autem est contra fidem, quæ vbiq; tradit, Spiritum sanctum esse tertiam personam Trinitatis, non secundam.

6 Secundò probatur assertio ex SS. Patribus, qui non solum supradictum loquendi modum Scripturæ diligenter imitati, atque etiam contra Alogianos hæreticos tutati sunt; sed etiam expressè docuerunt, filium procedere per intellectum, seu memoriam; & Spiritum sanctum per voluntatem, quem etiam vocarunt *Amorem, dilectionem, & charitatem* patris ac filij. Vide Irenæum lib. 2. cap. 48. Basilium homil. in cap. 1. Ioan. Cyrillum lib. 1. in Ioan. cap. 5. Augustinum lib. 5. de Trinit. cap. 6. 13. 14. & lib. de cognit. veræ vitæ cap. 14. 16. 17. & 18. Theodoretum lib. 2. ad Græcos, Anselmum in monolog. cap. 45. 46. 47. & 48. Damascenum lib. 1. fid. cap. 6. & Fulgentium lib. 3. ad Monimum cap. 7. vbi ait: *sic est verbum apud Deum, sicut est in mente verbum, sicut in corde consilium. Cum enim mens apud se verbum habet, vtiq; cogi-*

tando habet; quia nihil aliud est apud se dicere, quam apud se cogitare.

7 Tertio probatur ratione. Tum quia in nulla natura, productio vel communicatio naturæ immediatè fit per ipsam naturam seu essentiam, sed per potentiam seu operationem propriam tali naturæ; quæ quidem in Deo ipso, & ad intra, velut in ente merè intellectuali, non est nisi actus intellectus & voluntatis. Tum quia alias filius non propriè, sed tantum per quandam appropriationem esset *verbum*; quod etsi concedat Durandus, est tamen contra proprietatem Scripturæ, & SS. Patrum, ac in modo saltem loquendi consonat damnatæ hæresi Eunomij & Alogianorum, qui itidem dicebant, in Deo non esse *λογος* seu verbum propriè, vt dicitur quæst. 4. dub. 2. Tum quia alias nulla ratio posset assignari, nec cur processio filij ordine originis prior sit processionem Spiritus sancti; aut cur hæc non sit etiam generatio; aut cur non etiam Spiritus sanctus verè ac propriè sit imago Patris ac Filij; aut cur duæ tantum, non plures sint processionem; quæ omnia in Theologia sunt absurda.

8 Assertio II. Processiones personarum immediatè sunt per intellectum, & voluntatem diuinam; ita vt filius per intellectum; Spiritus sanctus per voluntatem procedat; abstrahendo, an actus intelligendi & amandi sint principium Quo producenti personas; an ipsa productio. Ita omnes authores citati præcedente assertione, nec verò minus certa est hæc assertio, quam præcedens; siquidem & ipsdum argumentis probatur, & ex præcedenti sequitur. Si enim à natura ipsa diuina, qua tali, non immediatè procedunt personæ; ergo immediatè procedunt per intellectum & voluntatem: præterquam quod de intrinseca ratione verbi est, procedere per intellectum; & de ratione Amoris, procedere per voluntatem.

Obijcitur primò, quod SS. Patres quandoque dicunt, filium procedere per naturam, non per voluntatem. Respondetur hoc ipsos dicere eo sensu, vt significent, filium non esse adoptiuum, seu per electionem & adoptionem; sed naturalem, per communicationem scilicet eiusdem naturæ; aut non liberâ processionem, sed merè naturali ac necessaria processionem esse filium Dei, vt dicitur dub. 6.

9 Obijcitur secundò, ex ipsa fecunditate diuinæ naturæ conuenire eidem, quod sit communicabilis personis pluribus: Ergo communicatio immediatè fit per naturam. Respondetur negando consequentiam. Satis est enim, quod mediantibus, iuxta rationem nostram, actibus intellectus & voluntatis hoc fiat; qui itidem fundantur quasi in natura, & ab ea vim habent.

10 Obijcitur tertio. Intelligere & velle sunt actus essentielles, & communes omnibus personis, nec à parte rei inter se diuersi; processionem autem non sunt communes; & inter se realiter distinguuntur, saltem si actiuam cum passiuâ conferamus. Ergo intelligere & velle saltem non sunt ipsæ processionem actiuæ, seu productionem personarum.

Respondetur, intelligere & velle posse dupliciter considerari; primò absolutè & in se, ac sine relatione productionis ad terminum productum;

Secundò cum adiuncta relatione productionis: priori modo sunt actus communes, & inter se non nisi ratione distincti; posteriori sunt notionales, & proprii personarum, atque etiam (si relativiè oppositi sint) inter se realiter distincti, ut pluribus dicitur dub. 3. & 4.

11 Obijcitur quartò, omnes alias naturas esse fecundas proximè ipsa sua substantia; non autem per intellectum aut voluntatem; ut quæ non sunt potentia productiva alicuius alterius termini saltem realiter distincti, ut ex Philosopho 9. metaph. dictum.

Respondetur, nullam naturam creatam in actu secundo immediatè seipsa esse fecundam; sed vel nullo modo esse fecundam, ut in natura spirituali Angelica accidit; aut solum esse fecundam ad producendam aliam, adiuncta & mediante potentia generativa; quæ quidem uti in rebus corporalibus materialibus, & ab intellectu & voluntate necessariò diversa est, ob imperfectionem horum agentium; ita in natura divina non potest ab intellectibus potentibus, seu actibus intelligendi & amandi, vilo modo esse distincta. Quod autem in rebus creatis intelligendo aut volendo nulla alia substantia producitur, ob imperfectionem itidem eorundem agentium accidit; satis interim est, & intelligendo produci verbum; & volendo seu amando amorem; quæ in divinis non possunt esse nisi substantia, & ipse Deus; etsi quidem Aristoteles hoc mysterium minimè agnovit, de rebus creatis solum locutus.

#### D V B I V M III.

### Per quasnam operationes intellectus & voluntatis procedant persona divina.

S. Thomas 1. p. q. 27. a. 1. & seqq.

1 E Tiamsi personæ procedant per intellectum & voluntatem; non tamen constat inter Doctores, per quos actus intellectus & voluntatis formaliter procedant; an per actus intelligendi & amandi formaliter; an per actus ab intellectu & voluntate distinctos. Et ratio difficultatis colligitur ex præcedenti dubio, quæ in hoc consistit. Nam si pater intelligendo generat filium, & Pater simul cum filio amando spirant seu producunt Spiritum sanctum: Ergo omnes personæ in divinis generant & spirant; quia intelligere & amare commune est omnibus personis.

2 Ad præsentis ergo difficultatis explicationem, sunt de proposita dubitatione quatuor sententiæ; è quibus duæ priores, velut falsæ & improbabilis, sunt à nobis refutandæ; tertia bono sensu exponenda ac probanda. Prima sententia est Henrici quodlib. 6. quæst. 1. & in summa artic. 54. vbi docet, filium & Spiritum sanctum intelligendo quidem & amando produci, sed non qualibet dilectione vel intellectu; sed speciali quadam, quam *rationalem* vocat; & dicit, esse operationem singulari modo perfectam, intellectus quidem, quasi reflexam, & certo

modo intensam; voluntatis autem, admodum ferventem: cum essentialis & communis dilectio non sint ita perfectæ: Quam distinctionem vult etiam in creata notitia & dilectione locum habere, respectu verbi, seu termini per eas producendi.

Sed hæc sententia distinguens hoc modo duplex intelligere in Deo; tanquam falsa & improbabilis iure ab omnibus refellitur. Est enim distinctio facta; & contra veritatem ac perfectionem divinæ essentia. Tum quia iuxta communem & veram Philosophiam, nullum est intelligere etiam in nobis adeò imperfectum, quo non producatur proportionatum verbum: cum hoc sit terminus intrinsecus actionis intelligendi; nec vero vllum sit intelligere sine actione intelligendi. Tum quia absurdum est, Deo tribuere intelligere quoddam imperfectum, etiam sola ratione distinctum à perfectissimo; multò autem absurdius dictum, intelligere essentialiter, adeoque commune omnibus personis, esse intelligere quoddam minus perfectum; cum omnino attributa essentialia Dei necessariò sint in suo genere infinitè perfecta. Quare quicquid perfectionis notionali illi intelligere tribuatur, siue explicetur per modum reflexionis, siue intentionis, & fervoris, non potest communi & absolutæ intellecti ac dilectioni denegari.

4 Secunda igitur sententia est Scoti in 1. distinct. 2. quæst. 7. & d. 23. quæst. 1. & 2. & quodlib. 2. vbi referens & refellens Henrici sententiam, alio modo actiones intellectus ac voluntatis in Deo distinguit. Nam in memoria seu intellectu paterno constituit duas quasi actiones, easque inter se minimè subordinatas; vnam vocat *intelligere*, alteram *dicere*: aitque illam esse communem omnibus personis, sed minimè productivam verbi; hanc vero propriam patris, & productivam verbi, seu potius ipsam verbi productionem. Quæ doctrina fundamentum habere posset in eorum sententia, qui dicunt, actum intelligendi, & verbum in nobis, esse duas qualitates realiter distinctas; quod quidem docere Caietanum, Ferrariensem, & alios plures Thomistas refert Suarez lib. 1. cap. 6. & de Thomistis aliquibus fatetur Torres quæst. 27. artic. 1. disput. 4. part. 1. Hi enim consequenter fateri debent, eas per duas actiones realiter item distinctas produci; ita ut dicere sit productio verbi, intelligere autem, ut est actio, sit productio actus intelligendi. Quæ doctrina proinde servata proportionè, etiam divinis accommodari posset, iuxta prædictam Scoti sententiam.

5 Sed quia eiusmodi doctrina, & per se ac reipsa, ut ex Philosophia suppono, & in sententia Scoti falsa est, rectè ex communi sententia docentis, verbum mentis nostræ non esse rem distinctam ab actu intelligendi, ut est qualitas in facto esse; ideo Scoti sententia non potest hoc modo explicari & defendi. Accedit, quod Scriptura & Patres satis aperè indicant, non solum Verbum intellectu, Spiritum sanctum voluntate, sed hunc quoque amando, illum intelligendo formaliter produci, ut videre est locis citatis dubio præcedenti. Denique ut in nobis verbum mentis non producitur nisi intelligendo, ita verbum etiam divinum, si verè ac propriè verbum est, ut sanè est, necesse est intelligendo produci. Non

ergo



ergo dicere & intelligere sunt duæ actiones distinctæ, & inter se non subordinatæ, vt existimauit Scotus; cuius proinde sententiam merito rejiciunt & pluribus refellunt Caietanus hic q. 27. art. 5. Torres ibidem art. 1. disp. 4. Suarez lib. 1. cap. 6. & Valquez disp. 112. cap. 2. & 3.

Tertia sententia distinguit idem (vt prima sententia) ratione saltem duplex intelligere in Deo, notionale scilicet, & essentialiter; hoc commune, illud proprium patris dicunt, quo producitur filius. Idem secundum proportionem tradunt de actu voluntatis, quod est velle seu amare. Refert & refellit hanc sententiam Aureolus in 1. dist. 32. quæst. 1. artic. 3. vbi eam tribuit S. Thomæ, eo quod quæst. 37. art. 1. dixerit, amorem in Deo dici essentialiter, & notionaliter, seu personaliter. Eandem sententiam Thomæ in genere tribuit Torres quæst. 27. artic. 5. quam etiam ibidem absolute & prolixè rejicit & impugnat.

Cæterum quamuis hæc sententia bono sensu explicari & defendi potest, vt inferius dicemus, & rectè notauit Valquez d. 112. num. 10. in hoc reprehendens Torrem, quod absolute eam vt falsam rececit; tamen non omnino satisfaciit & probatur præcipuè in modo loquendi. Tum quia in rigore non rectè dicitur duplex intelligere esse in Deo, vt dicemus. Tum quia non satis explicat, quâ ratione in seipsis illæ duæ intelligentiæ differant, quarum vni tribuitur productio filij, seu dictio Verbi, non alteri.

Vnde Valquez eam sententiam quasi explicans ait, intellectionem à dictione, seu productione verbi differre, vt inclusum ab includente. Hanc enim, præter ipsum intelligere, includere quoque relationem productionis ad verbum, veluti terminum productum; quod etiam docet, & fufius declarat Gregorius de Valentia q. 1. punct. 3. & ferè consentit Molina q. 27. art. 5. disp. 2. Sed nec istud per omnia satisfaciit, quia nisi aliunde etiam assignetur discrimen, ex parte ipsius intelligere, & intelligentis, quæstio manet, cur in patre solum habeat relationem producentis annexam, & non in cæteris personis, cum aliqui posito eodem fundamento adæquato, sequi soleat eadem relatio.

Est igitur quarta & vera sententia, quæ quinque his pronuntiatis continetur. I. Intelligere, & dicere, seu producere verbum in Deo, saltem aliquo modo ratione distingui: quod omnes fateri debent; quia intelligere re ipsa verè ac propriè commune est omnibus personis; non dicere seu producere verbum. Idem dicendum est de amare & spirare.

II. Abstrahendo à diuersitate obiectorum, propriè loquendo, & considerando rationem ipsius intellectionis, vnum tantum esse intelligere adæquatum in Deo, non modo re ipsa, sed etiam iuxta nostrum concipiendi modum; quia vna natura intellectualis; & vnus intellectus; & vna denique solum cuiusque attributi diuini adæquata ratio est.

III. Esse tamen diuersum modum habendi vnum & idem simplicissimum intelligere, in personis diuinis; quia pater illud habet ex se, & sine productione; in quo proinde est ante omnem productionem: filius habet per communicationem à patre, adeoque ratione quasi posterius ipsa filij produ-

ctione; cum ei sit communicatum per productionem, quâ ipse est. Quod proinde pronuntiatum ex ipsis terminis patet.

IV. Hanc ipsam rationem discriminis satis esse, vt Pater intelligendo generet, non Filius, aut Spiritus sanctus; siue intelligere in patre sit ipsa productio Verbi, siue solum principium Quo producendi verbum, iuxta ea quæ dicuntur dubio sequent. quia licet intelligere in omnibus personis vnum & idem sit, requirit tamen ex parte quasi subiecti, seu personæ, conditionem, vt formaliter sit dictio, seu vt per eam notitiam quippiam producatur ad intra; nimirum, vt quatenus est in tali personâ, non iam aliunde per eam sit productum, quicquid ad intra per eam produci potest. Si enim per eam, secundum rationem & originem, iam antea productum supponatur, quicquid per eam produci potest, nihil restat, quod à persona filij, cui ratione posterius, quam in patre sit communicatur, per eam amplius producatur: cum produci nihil possit, quod iam antea supponitur productum. Hinc igitur pater producit filium, per illud ipsum intelligere, quod commune est omnibus personis, quatenus illud à se habet, & non per generationem, aut aliam productionem. Ob hoc ipsum enim pater illud alteri potest communicare, ex virtute quidem & fecunditate ipsiusmet actus intelligendi: filius autem per illud nihil producere amplius potest, quia iam supponitur productum quicquid per illud produci potest.

V. Postremum pronuntiatum est. Intelligere & dicere, differre vt inclusum & includens; quia dicere includit ipsum intelligere; sed præterea quoque non solum dicit relationem ad verbum, veluti producentis ad terminum productum; sed etiam ex parte quasi subiecti includit seu deponit conditionem; nimirum esse in tali personâ, ante productionem per talem actum factam, vt explicauimus. Quæ omnia seruata proportionem ad voluntatem quoque seu amorem respectu productionis Spiritus sancti applicari possunt ac debent.

Eodemque modo concedi potest, esse duplex intelligere in Deo, non quidem secundum ipsam rationem intelligendi, vt dictum; sed quia accipi potest aut absolute & secundum se; aut prout simul inuoluit actionem & relationem dicendi seu producendi verbum, cum debita conditione, &c.

Atque hanc doctrinam planè tradere videtur S. Thomas quæst. 34. artic. 2. ad 4. vbi rationem reddit, cur Filius intelligendo non producat verbum, quia filius, inquit, est Deus genitus, non autem generans Deus; unde est quidem intelligens, non vt producat verbum, sed vt verbum procedens. Et quæst. 37. artic. 1. ad 4. Sicut Filio, inquit, licet intelligat, non tamen sibi competit producere verbum, quia intelligere conuenit ei, vt verbo procedenti: Ita licet Spiritus sanctus amet, essentialiter accipiendo, non tamen conuenit ei, quod spiret amorem; quod est diligere notionaliter sumptum, quia sic diligit essentialiter, vt amor procedens, non vt à quo procedit amor. Et rursus quæst. 42. artic. 6. ad 3. cum obiectum fuisset, filium non posse generare, ac proinde non habere eandem potentiam, quam habet Pater; nec adeo æqualem esse patri secundum potentiam; respondet S. Thomas his

verbis.

verbis: Sicut eadem essentia, quæ in patre est paternitas, in filio est filiatio; ita eadem est potentia, quæ pater generat, & quæ filius generatur. Unde manifestum est, quod quicquid potest pater, potest filius; non tamen sequitur, quod possit generare; sed mutatur quid in ad aliud. Nam generatio significat relationem in diuinis. Habet ergo filius eandem potentiam quam pater, sed cum alia relatione. Quia pater eam habet ut dans; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generare: Filius autem habet eam, ut accipiens; & hoc significatur cum dicitur, quod potest generari. Quibus verbis S. Thomas tria ad institutum docet; 1. potentiam, quæ filius generatur, eandem esse in patre & filio. 2. filium tamen non posse generare. 3. rationem huius rei esse, quia filius habet eandem potentiam quam pater; sed cum alia relatione; nimirum ut accipiens; pater vero ut dans: atque ideo patrem posse generare, non filium: quod est dicere, essentiam hoc solo, quod est in patre absque generatione; hoc est, non per generationem ei communicata, esse posse virtutem vniuersæ expeditam ad generandum; quia eo ipso quod in illa persona est ratio prius, quam sit facta generatio, intelligitur in ipso posse esse fecunda, & non in alijs personis, ut est in ipsis: quod pari ratione etiam de intellectu & voluntate, seu intellectione & volitione dicendum, ut ex ipso S. Thoma dicitur.

Huc spectat, quod S. Thomas quæst. 27. artic. 5. dicit, *actiones immanentes in natura intellectuali, & diuina, non esse nisi duas, scilicet intelligere & velle.* Et quæst. 41. artic. 6. ait, *Deum omnia intelligere & velle uno & simplici actu.* Et quæst. 37. artic. 1. & 2. ad 1. docet, *intelligere, & esse sapientem, vel intelligentem, tantum dici de Deo essentialiter.* Non ergo iuxta S. Thomam est duplex intelligere in Deo, propriè loquendo, essentialiter & notionaliter; sed vnum quod tamen in patre simul est dicere; in filio & Spiritu sancto non est nisi intelligere, ob dictam causam.

Eandem sententiam tradit Aureolus in 1. distinct. 10. quæst. 1. artic. 1. vbi dicit, *posse generare, esse habere diuinam essentiam per modum dantis, posse vero generari, esse habere eam per modum accipientis, ut dixerat S. Thomas.* Et distinct. 3. 2. quæst. 1. art. 3. ex instituto probat, non posse poni duos amores, aut duas sapientias seu notitias in diuinis, quarum vna sit essentialis, altera notionalis. Eodem modo non esse duos actus intelligendi & amandi ratione distinctos, secundum proprias rationes talium actuum, sentiunt etiam Capreolus in 1. d. 3. q. 1. a. 1. Caietanus hic q. 37. a. 1. & 2. Torres q. 27. art. 5. part. 3. qui inter alias responsiones etiam ad hunc modum propositam, difficultatem dissoluit. Ex instituto vero & particulatim ita rem totam explicauit Suarez lib. 1. cap. 7. à num. 5. Ex quibus etiam patet responsio ad rationem dubitandi initio propositam, qua Scotus in alienam se induci passus est.

Objicitur tamen præterea primo ex S. Thoma q. 37. art. 1. vbi dixit, *Amorem in Deo dici essentialiter & notionaliter, seu personaliter: sentit ergo duplicem in Deo esse amorem, amorisque actum, notionalem & essentialem: quod pariter etiam de intellectione diuina dicendum.*

Responderetur negando consequentiam; nusquam enim docet S. Thomas, duplicem in Deo esse actum

amoris; sed vnum & eundem actum amoris dupliciter accipi, essentialiter & notionaliter. Nequid tamen pariter de intellectione, iuxta eundem accipiendum est; quando ead. q. 27. a. 1. distertè scribit, in diuinis intelligere solum essentialiter dici.

Quod ut intelligatur, notandum est ex eodem ibidem, discrimen esse quoad hoc, inter intellectum & voluntatem, non secundum rem, est enim in re eadem proportio, ut dictum; sed quoad voces, quibus res significatur. Nam respectu intellectus, dantur nomina, seu voces distinctæ, ad significandum formaliter, vel ipsum actum intellectus secundum se & absolute, ut est sapientem; & intelligentem esse, & iuxta eundem, etiam ipsum intelligere; vel actum producendi verbum per intellectum, ut est dicere; vel ipsum terminum ipsius productionis, scilicet verbum: in voluntate autem, ob defectum nominum; vno & eodem vocabulo amoris seu dilectionis, significatur tam actus voluntatis ut sic, quam productio, & terminus productionis. Quo fit, ut sapientem ac intelligentem esse, (sicut etiam sapere & intelligere, si secundum se accipiatur, ut dictum) cum ut sic formaliter nec intellectualem productionem dicant, nec terminum productum, rectè solum essentialiter in diuinis dici afferatur: at verò amare seu amor, quia non solum actum ut sic communem omnibus personis significat, sed etiam ipsam productionem per voluntatem; eiusque terminum, hinc fit, ut non solum sumatur essentialiter, sed etiam notionaliter, tam pro spiratione actiua, quam passiuâ, qui est Spiritus sanctus, ut videbitur. Et hic est sensus S. Thomæ; non autem quod duplex sit actus amoris in Deo, vnius essentialis, alter notionalis, ut bene etiam exposuit Suarez cit. cap. 7. num. 12. Quæ tamen non obstant, quo minus intelligere, cum addito, prout nimirum est in patre, seu prout relationem paternitatis adiunctam habet, sic & dicatur ipsa productio verbi, ut dicebat dubio sequenti.

Objicitur secundo. Si propterea intelligere & amare in patre habet rationem generandi aut spirandi adiunctam, quia est in patre ante omnem productionem; sequitur etiam Deum, seu essentiam diuinam, ut sic formaliter, generare aut spirare: quod tamen damnatur capit. *Damnatus*, de summa Trinitate, & fide Catholica. Ita objicit Molina loco citato.

Respondeo negando sequelam. Quia licet intelligere sit in diuina essentia ante productionem: non tamen est in ipsa, ut in persona formaliter; cuius solius est producere, ut ex fide constat; quæ proinde etiam conditio, præter alias, ex parte subiecti ad producendum necessariò requiritur.

Objicitur tertio. Intellectio quatenus intellectio, cum sit propter se, non est productio termini: sed dictio est productio termini, nempe verbi: Ergo dictio non est intellectio. Hoc argumento etiam vsus est Scotus pro sua sententia.

Pro solutione notandum, discrimen aliquid esse inter intellectionem, seu productionem verbi creatam, & increatam. Nam intellectio ex veriori sententia, in nobis formaliter est qualitas in factio esse, adeoque ipsum verbum mentis; identicè autem & materialiter est actio seu productio verbi;

siue potius ipsa productio verbi, materialiter est intellectio, ipsumque verbum mentis; sicut omniactio realiter identificatur cum suo termino: in diuinis autem intellectio concipitur quidem per modum perfectionis absolutæ & essentialis, quæ etiam secundum se, non minus quam ipsa essentia diuina, cum verbo eiusque productione identificatur, ex dictis quæstion. 1. dub. 7. at vero formaliter & secundum nostrum concipiendi modum, non est ipsum verbum productum; nec, si secundum se solum spectetur, actiua productio verbi; sed perfectio absoluta, ratione prior, vt dictum; eo modo, quo absoluta & essentialia in diuinis ratione priora sunt relatiuis & personalibus. Habet tamen rationem productionis, seu processionis actiue, prout simul formaliter adiunctam habet relationem ad verbum: vti quidem habet, prout est in solo patre, non in alijs personis, ob rationem superius dictam.

18 Quæ ratione ipsa etiam productio, seu origo actiua verbi, nec est sola intellectio absoluta, nec sola relatio, sed vtrumque simul includit; ita vt ob hanc causam etiam ab origine seu processione passiuæ realiter distinguatur; prout vniuersim notionalis actio, & quasi passio, in diuinis realiter differunt, vt quæst. 3. dicemus. Cur autem intellectio in diuinis, etiam prout concipitur in esse perfecto, non sit formaliter verbum ipsum productum per actionem intelligendi ratio est, quia verbum in diuinis est persona subsistens & distincta à patre eam per intellectionem producente; est ergo ratione posterior intellectione, etiam in esse perfecto; cum in intellectu communis & absoluta in Deo, siue in patre, qua producitur filius, non possit non esse etiam formaliter, & in suo genere summe perfecta.

19 Hocposito, ad argumentum respondeo, intellectionem saltem materialiter & realiter, tam in nobis, quam in Deo esse productionem seu dictionem verbi; sed diuersa ratione, vt dictum: etsi formaliter intellectio vt sic, si secundum se præcisè sumatur, nec in nobis, nec in Deo sit productio verbi. Ex quo fit, intellectionem & dictionem non esse duas actiones inter se distinctas, nec subordinatas, sed potius re ipsa vnã esse actionem, vnumque actum, qui prout est in facto esse, est, & vocatur in nobis intellectio, seu verbum mentis; prout autem est in fieri, est ipsa dicitio seu productio verbi. Ad quem ferè modum etiam ad hoc argumentum respondet Vasquez disput. 112. cap. 4. vbi rectè annotat, non posse plenam similitudinem deduci ex nostro intellectu, vt intelligamus æterni verbi productionem: hæc enim peculiare illud habet, vt simul sit productio verbi, & intellectio eius, quod producitur; nostra vero intellectio est verbum ipsum, quo formaliter intelligimus non ipsum verbum, quod producimus, sed quo intelligimus rem aliam, quæ intellectui verbum producenti obijcitur. Plura de hac recit. quæst. 3. vbi de originibus differetur.

## DVBIUM IV.

*Sitne in diuinis actus intelligendi & amandi principium Quo producendi personas; an ipsa productio.*

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 1.

1 DICTUM est dub. 2. contra Durandum, personas diuinas procedere per intellectum & voluntatem; rursum contra Henricum & Scotum dub. 3. probauimus, easdem personas intelligendo & amando produci; quod cum dupliciter fieri possit, vel vt actus intelligendi & amandi tantum sit principium Quo, seu quasi virtus actiua producendi personas; vel vt sit ipsa productio; explicandum restat hoc dubio, vtro nam ex his duobus modis determinate actus illi se habeant ad productionem personarum: quandoquidem etsi obiter quandoque innuatum est hactenus, actus illos esse ipsas productiones personarum, id tamen non est ex instituto definitum & explicatum; quod cum inter Scholasticos Doctores admodum sit controuersum, in primis etiam explicatione indiget.

2 Sunt enim hæc de re duæ sententiæ oppositæ. Prima ait, actum intelligendi & amandi solum esse principium Quo producendi personas; sicut potentia animæ est principium Quo operationis animalicæ; aut sicut calor in calefaciente est principium Quo calefactionis. Ita docet Henricus Gandauensis quodlib. 6. quæst. 1. quem sequuntur Suarez lib. 1. cap. 8. num. 2. & Albertinus tom. 2. prædic. ad aliquid, corollar. seu quæst. 12. dub. 2. vbi etiam in patre distinguit ratione duplicem actionem, vnã absolutam, qua filio communicatur ipsum intelligere; alteram relatiuam, qua producitur relatio Filiationis, &c. Simulque supponit, generationem actiuam identificari non cum patre, sed cum filio; quod quæst. seq. dub. 5. refellemus. Rationes potissimas huius sententiæ inferius adducemus & soluemus.

3 Etenim opposita sententia, vt communior, ita verior videtur, nimirum in Deo patre ipsam intellectionem, seu actum intelligendi, esse dictionem & productionem verbi, non solum identicè, sed etiam formaliter; ita saltem vt intellectio ipsa, prout est in patre, adiunctam habeat formalem rationem dictionis; hæcque intrinsecè includat etiam ipsam intellectionem. Ita docent Magister in 1. distinct. 26. Richardus in 1. distinct. 27. artic. 1. Hispanensis distinct. 3. art. 3. Capreolus dist. 9. quæst. 1. & supponit Caietanus hic quæst. 27. artic. 5. & ex instituto tuentur Torres quæst. 27. artic. 5. disput. vnic. part. 3. Gregorius de Valentia hic quæst. 1. punct. 3. Vasquez disput. 111. cap. 2. & disput. 112. cap. 3. & Molina quæst. 27. art. 1. disput. 8. memb. 4. ad 4. vbi aperte ait, intellectum per intellectionem producere verbum, tanquam per actionem, quæ est ipsamet verbi productio, non vero tanquam per principium efficiens. Nec obstat, quod infra artic. 5. disput. 2. contra Torrem disse-

rens ait: *Dicere & spirare non esse ipsasmet operationes, seu actus vitales intelligendi & amandi; sed eas supponere, & in obliquo connotare; quia dicere est intelligendo producere; in recto vero esse ipsasmet relationes productionis.* Solum enim negare vult hoc loco Molina, dicere in recto formaliter & adequatè esse ipsam per se intellectionem; de quo quæst. 3. non tamen negat includere formaliter etiam ipsam intellectionem; ita vt intellectio in patre sit ipsa verbi productio.

4 Eadem videtur sententia communior Scholasticorum, qui cum asserunt, eandem intellectionem in diuinis considerari posse, & vt intellectionem, & vt dictionem, supponant, eam quoque formaliter esse dictionem, quamuis non semper, & in omni persona, vt dicitur. Eandem sententiam indicat S. Thomas quæst. 34. artic. 1. ad 2. vbi ait: *Dicere Deo esse cogitando insucri, in quantum in actu cogitationis diuinae concipitur Verbum Dei.* Et ibidem ad 3. ait: *Pater intelligendo se, & filium, & spiritum sanctum, & omnia alia, quæ eius scientia conueniunt, concipit verbum; &c.* Vbi non dicit, potest concipere, sed concipit. Et quæst. 27. artic. 1. ait: *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio (seu verbum) rei intellectæ, ex vi intellectiua procedens, & ex eius notitia procedens.* Quod ipsam postea ad processionem verbi in Deo applicat. Sentit ergo S. Thomas, ipsam actionem intelligendi esse productionem verbi; simulque in Deo esse non tantum actuale notitiam, ex qua (si nimirum per modum actionis consideretur) procedat verbum; sed etiam vim intellectiuam, ex qua velut principio Quo prouenit verbum.

5 Probatur hæc sententia primò. Quia in omni natura intellectuali ipsamet intellectionis actio est actio productiua, & productio verbi; quod frustra in dubium vocat Albertinus; sicut etiam ipsum verbum, si propriè verbum est, ex sua ratione terminus est intellectionis, vt actio est: nec vsquam intelligere est principium physicè effectiuum alterius actionis. Secundò. Quia secundum oppositam sententiam assignanda foret alia actio, medians secundum rationem nostram, inter intellectionem & verbum, cuius principium esset intellectio: quod non videtur conueniens; sic enim verbum diuinum non produceretur immediatè per actionem, quæ est intellectio. Tertiò. Actio intelligendi, siue ipsa intellectio, vt actio, necessariò habet aliquem terminum; nec alium, quam verbum: sed ipsum intelligere diuinum, si consideretur, vt secundum rationem emanat ab intelligente, eoque apto ad producendum verbum, est actio intelligendi; Ergo ipsum intelligere, vt emanat quasi ab intelligente, eoque apto ad producendum verbum, vt in diuinis est pater, est productio verbi. Quartò. Intellectus possibilis non habet aliam actionem, quam intellectionem; ab hoc enim velut adequato actu specificatur: Ergo aut hæc producitur verbum etiam in diuinis, aut nulla.

6 Obijcitur primò. In diuinis propriè locum non habet intellectus seu voluntas, vt per modum actus primi ab intellectione seu volitione distinguitur: Ergo cum ipsa voluntas & intellectus diuinus, iuxta S. Thomam, & communem, constitua-

tur per modum principij Quo, respectu processionis, seu productionis Verbi, siue Spiritus sancti, id de actibus intelligendi & amandi accipiendum est.

Respondeo negando antecedens, loquendo de distinctione rationis; in Deo enim intellectum & voluntatem esse etiam per modum actus primi, vniuersim docuimus disp. 2. q. 11. dub. 5. Et quamuis S. Thomas q. 41. art. 1. neget actionem in Deo esse, quatenus ea motum inuoluit, aut connotat, non tamen negat esse sub communi quadam & propria etiam ratione, prout à motu & reliquis imperfecti-  
7 nibus quasi materialibus abstrahit, vt ibidem dictum, & pluribus dicitur dub. 5.

Obijcitur secundò. Si intelligere in diuinis est ipsa actio productiua verbi, sequitur, patrem constitui intelligentem ipso verbo producto; quia verbum humanum per actionem intelligendi ad hoc producitur, vt constituat producentem in actu secundo intelligendi: consequens autem non potest dici, iuxta Augustinum lib. 15. de Trinitate, capit. 7. & 10. & lib. Retract. capit. 26. vbi retractat illam propositionem, *Pater est sapiens sapientia genita:* quod etiam notauit S. Thomas quæst. 37. art. 2.

8 Respondeo, negando sequelam; nam quod in humanis, is qui producit verbum, constituitur intelligens ipso verbo producto, ex imperfectione & limitatione creati agentis accidit, quia nimirum ex seipso, & ante productionem verbi, non est intelligens; cuius contrarium in diuinis accidit; siquidem pater ex se ipso est intelligens; nec productio verbi ei competit, ob indigentiam intellectionis, sed ex fecunditate & perfectione ipsius intellectionis, quam is ex se, & sua natura habet. Cum ergo pater sit sapiens & intelligens suam essentia, adeoque sapientia essentiali & ingenita, veluti forma; non autem verbo seu sapientia genita, rectè negatur, patrem constitui sapientem seu intelligentem verbo, siue sapientia genita, vt pluribus dicemus quæst. 3. dub. 2. Et quoad hoc libenter agnoscimus discrimen, ab omnibus necessariò admittendum, inter verbum diuinum, & creatum: quia per hoc is ipse, qui id producit, formaliter constituitur intelligens, quia est forma illius & ipsa intellectio in esse perfectò, vt dictum; at vero in Deo est persona distincta ab intelligente patre. An vero interim in diuinis dici alio sensu possit, *patrem intelligere verbo*, ita vt verbum intelligere significet actionem intelligendi, non formam seu actum intelligendi in esse perfectò, vt tradit Vasquez disp. 151. cap. 6. num. 22. dicitur quæst. 3. dub. 2. & 8.

9 Obijcitur tertio. Si intelligere in diuinis est ipsa actio produçens verbum; Ergo omnibus personis tribuenda erit productio verbi: siquidem intelligendi actus est communis omnibus personis; & impossibile est, formam in aliquo subiecto esse, & non habere in eodem, seu non tribuere eidem effectum formalem; secus est de principio productionis Quo, hoc enim bene potest esse in aliquo subiecto; cum tamen ob defectum alicuius conditionis, non possit agere, seu prodire in actum secundum.

10 Respondeo distinguendo sequelam primæ propositionis; vera est enim, si intelligere in diuinis,

secun-

secundum se præcisè sumptum est actio producens Verbum; fecus, si intelligere est actio producens non secundum se præcisè, sed vt simul adiunctam, habet in patre relationem producentis ad verbum, vt etiam dubio præcedenti in simili dictum. Neque est hoc planè nouum, vt forma aliqua pro diuersa ratione subiecti, non habeat omninò eundem effectum formalem. Siquidem etiam actiones vitales, ex probabili sententia, per absolutam Dei potentiam, esse possent in lapide, aut alio subiecto inanimato; neque tamen redderent illud formaliter intelligens, aut viuens; nimirum quia effectus formalis eiusmodi formarum, præter absolutum esse ipsius formæ, includit essentialiter habitudinem ad certum subiectum natura sua capax eiusmodi formarum; puta viuens, &c. Ita ergo etiam productio verbi, præter esse absolutum ipsius actus intelligendi, includit etiam certum respectum seu relationem producentis ad verbum; veluti terminum productum; quæ relatio quia in solo patre est, ideo in eo solo actus intelligendi habet rationem productionis verbi. Quare autem non in alijs quoque personis habeat relationem eiusmodi adiunctam, rationem assignauimus dubio præcedenti.

11 Obijci potest quartò. Intelligere essentialè Dei est actus quidam secundus omninò perfectus, & in eo concipitur per modum qualitatè absolutæ: Ergo impossibile est, vt formaliter sit actio, seu productio verbi; siquidem de ratione actionis est, vt concipiat per modum cuiusdam tendentiæ ad suum terminum. Respondeo cum Gregorio de Valentia quæst. 1. punct. 3. intelligere diuinum, ob suam eminentiam, & habere rationem actus perfecti & absoluti, si secundum se & in ordine præcisè ad obiectum suum concipiat, qua obiectum est; & simul etiam rationem actionis, si concipiat prout adiunctam habet relationem, in ordine ad terminum producendum; quod etsi quidem in nulla creata intellectione accidit, nihil tamen obstat, quo minus diuinæ intellectioni tribuendum sit; cum præter hæc etiam alia pleraque, ob excellentiam suam singularia habeat, vt dictum, & magis patebit quæst. 3. dub. 5. vbi de actibus notionalibus agitur.

12 Quintò obijci potest. Productio verbi realiter differt à processione, seu passua generatione verbi; cum eidem relatiuè opponatur, vt dicitur quæst. 3. at vero intellectio essentialis realiter non differt à processione verbi, seu ab ipso verbo; Ergo intellectio patris (quam ipsam essentialè Dei intellectiõnem diximus) non est productio verbi. Respondeo minorem esse veram, si de intellectu, secundum se præcisè loquamur; falsam, si loquamur de intellectu, in quantum adiuncta relatione productio est: quo sensu etiam conclusio distinguenda est; intellectio enim secundum se præcisè non est productio; sed vt in patre adiunctam, habet relationem ad verbum seu filium, vt superius dictum. Interim in omni probabili sententia fateandum, hoc esse singulare, in his diuinis productionibus, quod actiua productio siue processio, non est re eadem cum passua, vt quæst. seq. dicitur dub. 5. quicquid pauci quidam refragentur.

13 Sextò obijciatur ex Scoto in 1. distinct. 27. Actio per quam producit verbum, seu præcisè personalitas verbi, est verus & realis influxus, emanans per realem emanationem à patre; quo fit, vt ista actio sit distincta à patre, & adæquatè identificetur cum Filio: at vero intellectio non est in diuinis per realem emanationem, sicut est in nobis; nec distinguitur à patre: Ergo non potest esse actio, per quam verbum producit secundum personalitatem. Ita Albertinus.

14 Respondeo, actionem illam esse quidem verum & realem influxum respectu personæ producendæ, quæ proinde etiam ab ipsa quasi realiter emanat; ipsam vero actionem nec realiter emanare à patre, nec realiter esse distinctam à Patre, sed à Filio, vt ex communi sententia dicitur quæstione 3. dub. 5. vbi de actibus notionalibus agitur. Et sanè propter hanc ipsam causam displicet sententia opposita, quod & noua ac propemodum singularis sit, & plura alia noua in hac materia inuehat; Verbi gratia, intrinsecum intellectiõnis terminum non esse verbum; verbum in diuinis produci per aliam actionem, quam per actionem intelligendi; originem seu productionem actiua verbi non esse eandem cum patre producente, sed cum verbo, seu filio, &c.

#### DVBIVM V.

*Quodnam sit principium Quo, & potentia productiua personarum, seu actuum notionalium; quise terminus formalis eorundem actuum.*

S. Thomas 1. p. q. 42. a. 3. 4. & 5.

1 Non agit quidem S. Thomas hac de re sub titulo de processione diuinarum personarum, quæst. 27. sed inferius quæst. 41. sub titulo de actibus notionalibus, siue de personis comparatis ad actus notionales; sed quia actus notionales nihil aliud sunt, quam actus per quos procedunt personæ in diuinis, quamque ipsæ adeo processiones seu origines personarum; idcirco non abs re hoc loco dubitatio hæc explicatur: cum præsertim processiones seu productiones in diuinis intelligi non possint, nisi & vis actiua seu principium Quo, ex quo procedunt, & terminus earum formalis cognoscatur.

2 Qua in re primò supponendum, rectè etiam in diuinis ratione nostra distingui, tum terminum productionis adæquatam, & formalem; tum principium Quod, & principium Quo; licet à patre rei non differant, vt cum S. Thoma quæst. 41. artic. 5. contra Ariminensem in 1. distinct. 5. quæst. 1. & d. 7. quæst. 2. artic. 2. quem ferè sequitur Gabriel in 1. distinct. 5. quæst. 2. habet communis Doctorum sententia; alias enim si in diuinis idem formaliter esset principium Quo & Quod, non esset in omnibus personis idem principium Quo creandi. Et ad di-

inctionem abstracti & concreti in diuinis, sufficit distinctio rationis, cum virtuali in re, vt dictum vniuersim supra disput. 2. quæst. 2. dub. 3. Neque est dubium, terminum adæquatam, vti & principium Quod productionis personarum in diuinis, non minus quam in rebus creatis, esse personas indefinite loquendo; siue sit vna, siue plures; quia sola persona dicitur genita vel procedens; & suppositorum est agere, vti docet etiam S. Thomas cit. q. 41. a. 1. & est extra controuersiam.

3. Supponitur secundò, in Deo verè ac propriè esse potentiam actiuam seu productiuam, respectu personæ procedentis seu productæ; vt cum S. Thoma eadem quæst. 41. artic. 4. consentiunt omnes Theologi, excepto Aureolo in 1. distinct. 7. part. 1. artic. 2. qui vti negat, veram in Deo productionem, ita etiam negat potentiam productiuam: & ait, *potentiam generandi non dicere principium productiuum, sed esse sicut potentiam, qua Deus potest esse Deus.* Quare etiam in 1. distinct. 7. quæst. 1. artic. 3. docet, frustra inquiri terminum formalem processionis diuinæ; cum nullus sit, vbi nulla est actio, nulla productio. Sed quæ sententia meritò ab omnibus exploditur: cum enim in Deo sit vna processio vniuersæ personæ ab alia, per communicationem eiusdem naturæ diuinæ; veraque generatio, dans esse personæ procedenti; negari non potest, esse veram in Deo productionem, veramque adeo potentiam productiuam: quod Scriptura pariter, & omnes SS. Patres docent, quando asserunt, æternum patrem verè ac propriè genuisse ab æterno filium: cum & de ratione filij sit, habere suum esse per productionem à patre; & de intrinseca ratione generationis, productio: quicquid sit de ratione actionis, quam in rigore sumptam imperfectionem indicare, existimat Suarez lib. 6. cap. 5. num. 1.

4. His positis, controuersum est primò, An sit etiam potentia in Deo, respectu ipsius actiue productionis, seu actuum notionalium: secundò quid sit hæc potentia seu principium Quo producenti personæ; an aliquid absolutum, an relatum: tertio, an potentia generandi & spirandi, seu principium Quo productionis personarum sit in omnibus personis: quarto, quis sit terminus formalis vtriusque originis, seu productionis; relatione, an essentia: quæ omnia, vna eum varietate sententiarum, sequentibus assertionibus breuiter & ordine explicamus.

5. Assertio I. Rectius admittitur in Deo potentia productiua, non solum respectu personarum procedentium; sed etiam respectu ipsius productionis, seu actuum notionalium. Probatur & declaratur. Diuersa enim quidem est hæc de re sententia Doctorum: negatiuam enim tumentur Arminensis in 1. distinct. 7. quæst. 1. artic. 1. ad 1. Capreolus quæst. 1. artic. 2. Caietanus, Torres, & ferè Molina hic quæst. 41. artic. 4. Et fauet S. Thomas quæst. 25. artic. 1. ad 3. vbi admittit in Deo potentiam comparatam cum effectu, non tamen cum operatione; eo quod operatio non distinguatur ab ipsa potentia Dei; quod etiam indicat quæst. 41. artic. 4. ad 3. & quæst. 2. de potent. art. 1. Ratio sumitur ex dictis; quia reuera nulla est realis

processio productionis actiue, seu actus notionalis, à persona producente.

6. Nihilominus affirmatiuam tumentur Suarez lib. 6. cap. 5. & Valquez disput. 163. cap. 2. qui meritò etiam pro eadem citat S. Thomam quæst. 41. artic. 4. Cum enim in titulo quæsisset, *verum esset potentia respectu actuum notionalium*, disertè respondet, quod *sicut ponuntur actus notionales in diuinis, ita necesse est ibi ponere potentiam, respectu huiusmodi actuum; cum potentia nihil aliud significet, quam principium alicuius actus.* Et resp. ad 3. ait, respectu illarum actionum, secundum quas aliquæ res procedunt distinctæ à Deo, vel essentialiter, vel personaliter, *posse Deo attribui potentiam, secundum propriam rationem principij*: cum tamen mox in eadem solutione dicat, non esse potentiam huiusmodi in Deo respectu operationis immanentis essentialis, qualis est intellectio & dilectio: quia non sunt actus, inquit, qui designent processionem alicuius rei à Deo distinctæ, vel essentialiter, vel personaliter. *Vnde respectu horum actuum non potest saluari ratio potentie in Deo, nisi secundum modum intelligendi, & significandi tantum; prout diuersimodè significatur in Deo intellectus & intelligere.* Ita S. Thomas qui etiam ad eundem sensum intelligendus cit. q. 25. a. 1.

7. Et quamuis hæc quæstio sit de nomine, magis tamen mihi probatur secunda sententia, quam in assertionem proposui. Tum quia iuxta S. Thomam, ad hoc, vt dicatur esse potentia realis & productiua, respectu alicuius actionis seu productionis, satis est, vt per eam actionem, vt sic, aliquid verè & realiter procedat, tamen si & ipsa actio verè & realiter ab agente seu producente non procedat; cuius ratio esse videtur, quia actio non est id, quod producitur, sed via & medium quo producitur; sicut ergo ad potentiam realem, qua aliquid producitur, non requiritur, vt re ipsa distinguatur ab agente; ita neque in actione id necessarium esse videtur. Tum quia saltem secundum rationem nostram rectè constituitur in Deo potentia actiua, etiam respectu actionis immanentis absolute & essentialis in Deo, vt suo loco disp. 2. q. 11. dub. 5. dictum, & satis apertè docet S. Thomas verbis citatis.

8. Assertio II. Principium Quo primum & substantiale, adeoque velut remotum, secundum rationem nostram, productionis personarum, seu actuum notionalium est sola essentia diuina; principium autem Quo velut secundarium & immediatum, est intellectus & voluntas: ipsa vero relatio personæ producentis propria, seu coniunctio essentia cum ea relatione, seu quod idem est, habere talem potentiam sine tali productione, est conditio necessaria, vt talis potentia in actum exeat. Hæc est mens S. Thomæ hic quæst. 34. artic. 2. ad 4. & cit. quæst. 41. artic. 5. vbi etiam infert, *potentiam generandi significare in re natura diuinam, sed in obliquo relationem.* Idem docent Caietanus & Thomista ibidem, Molina eodem artic. 5. Suarez lib. 6. cap. 5. post Magistrum, Scotum, Capreolum & alios in 1. d. 7. ex communi Doctorum sententia; contra alias duas oppositas sententias.

9. Prima est eorum, qui docent, principium Quo formaliter esse relationem. Ita Bonauentura in 1. distinct. 7. quæst. 1. & Durandus quæst. 2. num. 29. Secunda est aliorum, qui docent, esse essentiam

& rela-

& relationem simul. Ita Henricus in summa artic. 57. quæst. 7. & alij quidam apud Durandum loc. citat. item Gregorius de Valentia hic quæst. 15. punct. 2. & Vasquez disputatione 64. capit. 3. vbi citat etiam Marfilium, Capreolum, Ferrariensem, Torrem, & Caietanum: sed qui potius nostræ sententiæ adherent, vt bene notauit Suarez loco citato.

10 Et postrema pars patet ex dictis dub. 3. Prima pars probatur. Tum quia principium Quo, in quauis productione non est forma, seu conditio indiuiduans, quæ constituit personam; sed est id, in quo productum assimilatur producenti: qualis in naturalibus generationibus est forma; in nostro proposito est essentia, non relatio, seu proprietatis personalis: quæ est ratio S. Thomæ citata quæstione 41. artic. 5. Tum quia si principium Quo esset relatio, seu proprietatis relatiua, tum productio personarum esset æquiuoca; quæ est ratio Scoti. Tum quia, si etiam relatio inadaquate saltem esset principium Quo, tunc non simpliciter & absolute asserendum esset, personas procedere per intellectum & voluntatem, sed etiam per relationem. Idem probat S. Thomas ex Damasceno lib. 1. orthod. fid. cap. 8. vbi ait, *generationem esse opus naturæ, non sicut generantis, sed sicut eius, quo generans generat.* Idem videtur receptum in Concilio Florentino session. 18. vbi Ioannes Theologus latinus ait; *Dixi, Filium ex Patre, & ex patris substantia generari; ita tamen, vt pater sit generans; principium autem, quo ipsa persona generat, est id, quod solum communibile est.* Idem repetitur sess. 19.

11 Secundam partem passim docet S. Thomas præsertim quæst. 27. & alij Doctores sæpe, quando docent, personas procedere, immediate nimirum, per intellectum & voluntatem; & patet ex dictis supra dub. 2. vbi probauimus contra Durandum, personas non procedere immediate ab essentia. Idem accidit in generationibus, seu productionibus naturalibus, in quibus non ipsa agentis forma & essentia, sed potentia aliqua superaddita, est immediate productiua seu generatiua alterius substantiæ. Addit Suarez loco citat. num. 9. cum dicitur, intellectum & voluntatem esse principium proximum productionis personarum, id non tantum intelligendum de ipsis facultatibus & potentijs, sed etiam de actibus eorundem; quos ipse nimirum etiam existimat esse principium Quo; non autem ipsas productiones personarum. Sed quoad hoc contrarium probabilius censuimus dubio quarto.

12 Assertio III. Potentia generandi & spirandi, seu producendi personas, quantum ad id, quod habet totam rationem principij, est in omnibus personis. Hæc est expressè doctrina S. Thomæ quæst. 42. artic. 6. ad 3. vbi de potentia patris ad generandum, loquens, vt ex obiectione patet, respondet, *filium habere eandem potentiam, quam pater, sed eum a lia relatione.* Et quæst. 41. artic. 5. ad 1. ait, *id quo generans generat, esse commune genito & generanti, & idem numero, non solum specie, sicut in rebus creatis.* Idem rectè docet Suarez lib. 6. capit. 5. num. 8. & 9. alijque citati pro assertione præcedenti; etsi contrarium asserant Vasquez, alijque in contrarium i-

bidem citati. Ratio sumitur tum ex dictis: tum quia hoc necessarium est; ad æqualitatem potentia omnium personarum; quam cum S. Thomæ tradidimus supra quæst. 1. dub. 8. etsi Vasquez disput. 165. cap. 2. cum alijs nonnullis putet, potentiam illam; in qua personæ dicuntur æquales, solum respicere creaturas: quod est & contra S. Thomam loco citat. & contra Augustinum lib. 3. contra Maximinum capit. 14. vbi ait: *si pater genuit filium minorem, aut non voluit, aut non potuit gignere æqualem, si autem dicitur, quod non voluit, cum inuidum esse dixisset: si autem non potuit, vbi est omnipotentia patris? Vbi omnipotentiam patris expressè refert Augustinus ad productionem æqualis filij.*

13 Nihilominus tamen potentia generandi rectè dicitur modo quodam propria patris; quia in ipso solo habet omnia requisita ad generationem, vt dictum dub. 3. In quem sensum etiam S. Thomas quæst. 41. artic. 5. ad 3. ait: *Quantum ad essentiam, quæ significatur, potentia generandi communis est tribus personis; quantum autem ad notionem, qua connotatur (spektando conditionem requisitam, vt in actum exeat) propria est personæ patris.*

Neque ex hac assertione sequitur, etiam alias personas absolute loquendo posse generare: quia agere posse quippiam absolute non dicitur, nisi qui præter intrinsecam vim & facultatem agendi habet omnia requisita ad agendum: quare eum, qui pedes vinculis restrictos habet, absolute dicimus non posse ambulare, tamen vim intrinsecam ambulandi & potentiam loco motiuam planè retineat.

14 Assertio IV. Terminus formalis vtriusque originis & productionis, est quidem ipsamet essentia diuina, non vt producta, sed vt communicata personæ; nihilominus tamen requirit relationem tanquam conditionem necessariam. Hæc est sententia S. Thomæ hic quæst. 41. artic. 3. vbi ait: *Filius est genitus de essentia patris, in quantum essentia patris filio per generationem communicata in eo subsistit.* Idem docent Bonauentura in 1. distinct. 5. quæst. 2. Scotus quæst. 2. & 3. Capreolus quæst. 2. Marfilius in 1. quæst. 9. Caietanus, & Thomistæ communiter quæst. 41. artic. 3. Suarez lib. 6. cap. 6. etsi contrarium sentit Durandus in 1. distinct. 5. quæst. 2. vbi docet, relationem personæ productæ esse terminum formalem; & addit, *essentiam potius se habere vt materiam ex qua, vel de qua producitur persona; eo quod supponatur productioni, & determinetur per proprietatem personalem, tanquam per formam: quod etiam docuit Henricus in summa art. 5. q. 3. eodemque modo exponunt illud, cum dicitur, patrem generasse filium de sua substantia.*

15 Sed probatur assertio. Siquidem in omni productione, formalis terminus est natura vel forma, in qua productum assimilatur producenti, vt habet communis philosophia; & probat ratio: quia producens intendit sibi assimilare productum; & illi communicare suum esse, ac principium producendi: ergo quod est principium Quo producendi, est etiam terminus formalis productionis: sed diuina essentia est, in qua persona producta est similis producenti, & quæ primario communica-

tur, & est principium Quo productionis, ut dictum assertionem 2. Ergo, &c. Quia tamen natura diuina non producit, sed solum communicatur personæ procedenti, idcirco terminus formalis in obliquo respicit personam; quæ quia sine relatione esse non potest, idcirco idem terminus requirit relationem tanquam necessariam conditionem, ut in simili de principio Quo dictum.

16 Obijciunt Durandus loco citat. & Aureolus eadem distinct. 5. quæst. 1. art. 3. Id quod præexistit productioni, non est terminus formalis eiusdem, sed id solum quod subsequitur: essentia autem ordine originis præexistit productioni: Ergo non est eius terminus formalis.

Respondetur negando maiorem. Nam ex communi Philosophia, etiam in generatione hominis, terminus formalis est anima, non quidem secundum se, sed ut vnita materia. Satis ergo est, ut terminus aut communicetur aut vnatur per productionem adequati & principalis termini.

17 Quare etiam falsum est, in ea propositione, patrem generasse filium de sua substantia, significari habitudinem causæ materialis. Nam indicatur quidem eo loquendi modo consubstantialitas inter vtrumque, ut in Concilio Florentino sessione 18. rectè asseruit Ioannes Theologus, adeoque significatur non solum habitudo principij producentis, sed etiam intrinseci; at vero non materialis, sed potius formalis; quandoquidem etiam in rebus creatis essentia se habet ad personas, veluti formæ quædam; per essentiam enim formaliter constituentur & distinguuntur res, & quæ essentialiter conueniunt, formaliter conuenire dicuntur, etiam si personalitate materialiter differant, ut fufius declarant post S. Thomam quæst. 41. artic. 3. Gregorius de Valentia quæst. 15. punct. 3. Molina q. 41. a. 3. Suarez cit. lib. 6. cap. 6. frustra quibuldam de nomine litigantibus.

#### D V B I V M VI.

*Utrum processionem seu productionem personarum sint actus voluntarij & liberi, an naturales, seu per modum naturæ.*

S. Thom. 1. p. q. 41. a. 2.

18 **V**ariè hæc de re loquuntur Theologi. S. Thomas hic quæst. 41. artic. 2. cum quæsiisset, an actus notionales sint voluntarij, responderet terminis non nihil mutatis, duabus assertionibus. 1. Actus notionales esse aut fieri voluntate comitante; sicut dicere quisque potest, se esse hominem voluntate. 2. Non autem esse aut fieri voluntate, ut principio: quare etiam priori sensu veram esse hanc propositionem, Pater genuit filium voluntate; sicut & est voluntate Deus, quia vult se esse Deum, & vult se generare filium; posteriori autem sensu esse falsam.

2 Ex quibus sequi videtur, iuxta S. Thomam, et-

iam processionem Spiritus sancti, non esse à voluntate, ut principio: quod Caietanus explicat de principio ad vtrumlibet seu indifferente; Vasquez comment. ibidem eo sensu concedit, quia putat S. Thomam de actu voluntatis locutum; eumque actum non esse quidem principium eius processionis, sed esse tamen ipsam processionem actiuam, seu productionem Spiritus sancti. Addit idem S. Thomas respons. ad 5. necessarium esse, patrem generare filium; quod pari ratione etiam de processione Spiritus sancti intelligendum.

Secutus autem in 1. distinct. 10. quæst. 1. & quodlib. 16. artic. 2. docuit, processionem Spiritus sancti, licet sit necessaria, non tamen dicendam esse naturalem, sed liberam; quod ex parte etiam sequitur, Henricus apud eundem.

Rursum Goffredus apud Aureolum in 1. distinct. 6. q. 1. art. 1. de Patre docet, filium genuisse naturæ, quia productus est ab vno, qui est proprius modus productionis naturalis: Spiritum sanctum esse productum modo voluntatis, quia producit a duobus. Quem ex parte secutus Durandus in 1. distinct. 6. quæst. 2. à num. 15. ait, in productione diuinarum personarum præter ordinem productionum, de quo dictum dub. 2. duo posse considerari, scilicet habitudinem virtutis productiuæ ad actum producenti; secundum quam productio dicitur ab ea prodire necessariò, vel contingenter siue liberè. 2. Supposita producentia; an sit vnum, an plura; & priori consideratione, nullam personam in diuinis procedere per modum voluntatis, sed quamlibet per modum naturæ: posteriori autem consideratione, Spiritum sanctum procedere per modum voluntatis, filium autem per modum naturæ; quia modus naturæ in creaturis est, quod vnum sit ab vno tantum, & non à pluribus eiusdem gradus, & ordinis, quorum quodlibet esset per se sufficiens ad eorum perfectè producendum.

4 Sed nec SS. Patres constanter & eodem modo de hæc videntur locuti, ut videre est apud S. Thomam cit. art. 2. & Magistrum cit. distinct. 6. Certè Augustinus in Dialogo ad Orosium qq. 65. quæst. 7. ita loquitur: *Voluntate genuit pater filium an necessitate? Nec voluntate, nec necessitate; quia in Deo necessitas non est; præter autem voluntas sapientiam non potest, quod est filius: igitur prius est rationaliter sapere, quam rationaliter velle.* Et Hilarius lib. 1. de Synod. cap. 11. definit. 25. *Si quis dicat, quod pater naturali necessitate ductus genuerit filium, anathema sit.*

5 Quare etiam Magister cit. distinct. 6. liter. A. ex Augustino lib. 15. de Trinitate, cap. 20. ita concludit: *Ex prædictis docetur, non esse concedendum, quod Deus voluntate, vel necessitate, vel volens, vel volens genuerit filium.* Quod tamen litera C. ita explicat, ut de voluntate præcedente, vel accedente (seu potius accedente) intelligendum sit; qualiter, inquit, Eunomius intelligebat.

Ut res hæc explicetur notandum est, voluntarium quidem propriè solum dici, quod est à voluntate; ut à principio, siue ab illa sit elicitive, siue imperatiue; & hoc rursum, siue directè, siue indirectè, iuxta S. Thomam 1. 2. quæstione 6. artic. 3. in proposito tamen paulo latius à Doctoribus

fumi-



sumitur, ut intelligatur etiam de eo, quod est voluntas; quo modo Vasquez cit. quest. 41. artic. 2. ex mente S. Thomæ hanc assertionem ponit, *Actus notionales sunt voluntarii voluntate concomitante*; et si S. Thomas hoc modo non loquatur, ut dictum. Voluntarium autem priori modo rursus aliud est voluntarium liberum, aliud voluntarium necessarium. Hoc posito est

6 **Assertio I.** Processio in diuinis, adeoque actus notionales in Deo, non sunt voluntarii liberi, siue voluntarium accipiat pro eo, quod est à voluntate veluti principio, siue pro eo, quod est voluntum. Hæc est mens S. Thomæ hic cit. quest. 41. artic. 2. in corp. & ad 3. adiuncta quest. 19. artic. 3. ubi docet, Deum seipsum, & ea quæ in ipso necessario sunt, velle necessario, eademque est communis re ipsa, & ex fide certa Theologorum sententia: hocque etiam sensu contra Eunomium & Arium definitam refertur in lib. de synodis apud Hilarium, *Si quis voluntate Dei, tanquam unum aliquid de creaturis, filium factum dicat, anathema sit.* Nimirum Eunomius volens filium Dei in censum creaturarum referre, ita dicebat, filium esse voluntate accidentem productum, uti creaturæ à Deo libera voluntate productæ sunt, uti refert etiam Augustinus loc. cit. ad Orosium, & lib. 15. de Trinit. cap. 20. Eodemque maxime sensu etiam alii Patres, & Scholastici negant, filium productum esse voluntate. Ratio est. Quia Deus secundum se, suamque entitatem, est ens plane necessarium, nec seipsum libere vult.

7 Neque de re ipsa est controuersia inter Doctores, sed solum de modo loquendi: Henricus enim in summa art. 60. quest. 1. licet fateatur, Patrem & Filium se naturaliter & non libere diligere, nihilominus ait inspirationem (quam dicit comitari illum amorem) non esse naturalem, sed liberam: cum tamen non minus necessario spiratio conueniat amori, quam amor personis spirantibus: quod cum non neget Henricus, necesse est, in verbis absurde deliquisse. Eodem modo Scotus loco citato, dum asserit, tam amorem, quam productionem Spiritus sancti vocandum esse actum liberum, & non naturalem, vocabulis itidem contra communem loquendi usum Doctorum male abutitur, liberum appellans, quod est spontaneum, seu liberum à coactione, non à necessitate: naturale verò, quod est absque præiua perfecta cognitione, ut fusius Vasquez d. 160. c. 1. 2. & 3. & Suarez lib. 6. cap. 4. à num. 12.

8 **Assertio II.** Productiones in diuinis seu actus notionales, absolute loquendo, non sunt à voluntate, veluti principio per modum voluntatis agente. Hæc est mens S. Thomæ cit. artic. 2. conclus. 2. ut recte Caietanus exposuit, & constat ex ratione eiusdem Sancti Thomæ. Ratio, inquit, est: *quia voluntas est natura secundum hoc differunt in causando, quia natura determinata est ad unum; sed voluntas non est determinata ad unum. &c. Effectus enim assimilatur formæ agentis, per quam agit: manifestum est autem, quod unus rei non est nisi una forma naturalis, per quam res habet esse: unde quale ipsum est, tale facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est una tantum, sed sunt plures, secundum quod sunt plures ratio-*

nes intellectæ. Unde quod voluntate agitur, non est tale, quale est agens, sed quale vult, & illud intelligit esse agens. Eorum igitur voluntas principium est, quæ possunt sic vel aliter esse: eorum autem, quæ non possunt nisi sic esse, principium natura est. &c. Quare concludit S. Thomas, dicendum esse, quod Pater genuit filium non voluntate, sed natura. Quod etiam dicitur in libro de synodis apud Hilarium; *Omnibus creaturis substantiam Dei voluntas attulit; sed naturam dedit filio ex impassibili ac non nata substantia perfecta natiuitas. Talia enim cuncta creata sunt, qualia Deus esse voluit; filius autem natus ex Deo talis subsistit, qualis & Deus est.* Ratio colligitur ex dictis: quia modus proprius agendi voluntatis, prout opponitur naturæ ac naturali modo agendi, est, agere libere, & indifferenter ad vtrumlibet: quod non conuenit actibus notionabilibus, seu processionibus & productionibus diuinarum personarum, ut dictum assert. præced.

9 **Assertio III.** Et quamuis rectè nihilominus dicatur, processionem seu productionem Spiritus sancti esse à voluntate, veluti principio, per modum naturæ, adeoque naturaliter & necessario agente; generatio tamen filii nullo modo est à voluntate veluti principio. Ita quoad priorem partem Sancti Thomæ cit. quest. 41. artic. 2. ad 3. ubi ait; *Etiā voluntas, in quantum est natura quedam, aliquid naturaliter vult. &c. Ita Deum naturaliter vult & amat seipsum. &c. Spiritus autem sanctus procedit ut amor, in quantum DEVS amat seipsum, unde naturaliter procedit, quamuis per modum voluntatis procedat.* Eadem quoad rem est communis Doctorum sententia, speciatim Caietani, Vasquii locis citatis. Nemo enim negare potest, processionem Spiritus sancti esse à voluntate veluti principio: saltem si voluntas in actu primo, & per modum potentie sumatur, ut ex dictis constat, & magis patebit dub. 8. Secundam partem docet Sancti Thomæ ibidem in corpore, & est communis ac certa Theologorum, & traditur in Concilio Tolerano XI, ubi ex Augustino loc. cit. ad Orosium dicitur: *Non enim voluntas sapientiam præuenit.* Ratio est. Quia Filius nullo modo procedit ex voluntate, sed solum ab intellectu, ut dicitur dub. seq.

10 **Assertio IV.** Sed & omnes processionem sunt voluntæ personis producentibus: quare etiam rectè dici potest, Patrem voluntate genuisse Filium; & vtrumque, tam Patrem, quam Filium, voluntate spirasse Spiritum sanctum; nempe ut ablatius, voluntate, significet concomitantiam voluntatis, non habitudinem principii. Ita S. Thomas cit. quest. 41. assert. conclus. 1. & est extra controuersiam: eodemque sensu apud Hilarium lib. de synod. ex concilio Sardicensi dicitur; *Quod neque consilio, neque voluntate Pater genuerit Filium, anathematizat sancta & Catholica Ecclesia, ut bene explicauit Vasquez disput. 160. cap. 4.* Ratio patet ex dictis: quia eadem ratione dicere possumus, nos voluntate homines esse, & Deum voluntate Deum esse; quia & nos volumus nos homines esse, & Deus vult se Deum esse. Quo exemplo etiam Arianorum & Eunomianorum impietatem reuodit Catholicus quidam disputator olim, cum inuidiose premeretur, velle ne-

fateri, Patrem voluntate genuisse filium, an non? &c. ut videre est apud Augustinum lib. 15. de Trinitate. cap. 20. & cit. quæst. ad Orosium, ubi ait: *Nam quidam noster, cum eum interrogasset hereticus, utrum volens, an nolens genuerit Pater filium, laudabiliter respondisse fertur, Dic, inquit, & tu heretice. Dum Pater necessitate est Deus, an voluntate? Quod si dixisset necessitate, sequebatur illum grandis absurditas, si autem voluntate, respondebatur illi, Ergo voluntate est Deus, non natura, & tu in laqueum, quem volebat ponere, ipse incidit, & videns se conuictum obmutuit.*

11 Eodemque etiam sensu recte dicitur, utramque processionem esse voluntariam; accipiendo scilicet voluntarium obiectiue, non causaliter, ut communiter etiam loquuntur Doctores: nisi quod aliqui dicunt, ipsum velle voluntatis, quo producit Spiritus sanctus, esse voluntarium non ut Quod, sed ut Quo; quos refellit Suarez lib. 6. cap. 4. cum nihil magis sit voluntarium, quam ipse actus voluntatis; quem subinde etiam reflexe volumus.

12 Assertio V. Verius est, voluntatem illam, quam voluntariam esse generationem diximus, secundum rationem esse posteriorem generatione. Probatur & declaratur. Est enim hæc de re variæ sententiæ. Priorem esse, affirmat Caietanus hic quæst. 41. artic. 2. post Scotum in 1. d. 1. Simul esse, & comitantem; non priorem, nec posteriorem, docent Ariminenfis in 1. d. 6. quæst. 1. artic. 3. Capreolus quæstion. 1. artic. 1. Ferrariensis 4. cont. gent. cap. 11. Torres cit. quæst. 41. artic. 2. cui fauet Sanct. Thomas ibidem, & quæstion. 2. de potent. artic. 3. ad 2. Gregorius item de Valentia quæst. 15. pun. 4. putat, & priorem, & posteriorem diuersa ratione recte dici posse. At verius est, ratione posteriorem esse, ut docent Henricus in sum. artic. 58. quæst. 2. & quodlib. 5. quæstion. 4. Goffredus apud Scotum loc. citat. Molina cit. artic. 2. quæst. 41. disput. 2. Vasquez d. 160. cap. 3. Suarez lib. 6. cap. 4. num. 3. Ratio est. Tum quia prius est, Patrem intelligere, quam velle, quia voluntas fertur in rem cognitam; Ergo etiam prius generat, quam velit generare; cum eo ipso, quod intellectus iungitur cum eius proprietate personali, generet, ut dictum dub. 4. Tum quia Pater non vult generationem per modum desiderii, sed voluntate complacentiæ, quæ res præsentis prosequimur: Ergo voluntas supponit iam obiectum ut præsens. Et Confirmatur. Quia ob eandem causam, prior est processio per intellectum, quam per voluntatem. Nec obstat, quod essentialia priora dicuntur secundum rationem notionalibus: hoc enim verum habet de essentialibus, quæ ut sic non respiciunt notionalia, velut obiecta, ut recte Vasquez num. 13. S. Thomas autem hunc amorem vocauit *concomitantem*, non solum quia non præcedit per modum principii, sed etiam quia re & duratione simul est, ut recte Vasquez ibidem, & Suarez num. 5. His accedit, Augustinus, & concilium Toletanum XI. citatum assert. 3.

13 Assertio VI. Simul tamen recte etiam dici potest, Patrem genuisse Filium, aut vna cum Filio spirasse Spiritum sanctum, *naturaliter*, siue per mo-

dum naturæ aut etiam *natura*; non solum si hæc vocula substantiale principium Quo productionis significet, sed etiam si modum agendi denotet. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 41. artic. 2. vbi contra Arianorum blasphemias ait: *Nobis autem dicendum est, quod Pater genuit filium non voluntate, sed natura.* Ratio sumitur ex dictis, quia personæ plane per modum naturæ, quæ ad vnum determinata est, procedunt. De Scoto & Henrico, quoad spirationem contrarium asserentibus, dictum assert. 1.

14 Assertio VII. Sed & rectè etiam dicitur, Patrem necessario, seu necessitate quadam genuisse filium; non prout necessitas dicitur indigentiam alicuius rei, siue necessitatem respectu finis, vel coactionem, sed vt absolute vocatur necessarium, quod non potest non esse. Ita ex communi Sanct. Thomas cit. quæst. 41. artic. 2. ad 5. vbi ait, *hæc modo Patrem generare filium, est necessarium.* Quod rectè etiam probat ibidem simili, quia eodem sensu etiam Deum esse est necessarium. Qui vero necessitatem in diuinis processionibus negarunt, iuxta sensum primæ partis assertionis sunt locuti, ut ex subiecta materia constat.

15 Assertio VIII. Peculiari etiam ratione quadam Filius dicitur procedere per modum naturæ. Ita Goffredus, Durandus, locis citatis, alique Scholastici communiter. Ratio vero non est, quam ex Goffredo & Durando supra attulimus, quia & naturales effectus sæpe plures causas exigunt, vel admittunt, vt bene Aureolus cit. distin. 6. nec verum est, solum per se Patrem, aut solum per se Filium absolute sufficientem esse, & posse producere Spiritum sanctum, tamesi enim singuli habeant vim spiratiam, quæ per modum principii requiritur, sufficientem, non tamen in singulis reperitur. conditio necessaria ad spirandum, siue id, quod ex parte principii connotatur, nimirum dualitas personarum: cum de ratione Spiritus sancti sit, vt à duabus personis procedat, uti quæst. 4. dub. 7. dicitur. Ratio igitur est, uti rectè notauit Suarez lib. 6. cap. 3. quia vt dicitur dub. 7. & 8. filius formaliter, & ex vi specialis suæ processionis, procedit vt simili principio producenti; quæ est communis ratio productionis naturalis substantialis, cum omne agens naturale vi suæ formæ determinatum sit ad simile sibi producendum.

16 Assertio IX. Quando cum hæreticis Antitrinitatis, aut inter hæreticos agendum, non absolute & simpliciter dicendum, Patrem aut voluntate, aut necessitate genuisse Filium, seu spirasse Spiritum sanctum; ne aut libera voluntas, seu vniuersim voluntas per modum principii, aut coactio, seu indigentia significari videatur, sed caute addenda explicatio, modo superioribus explicata. Hæc est mens & sententia Magistri iuxta Augustinum loc. cit. Et ratio est. Quia in vsu terminorum, quibus præsertim hæretici abutuntur ad suos errores stabilendos, non solum cauendus est error, sed etiam erroris periculum, & scandalum; ne cum hæreticis sentire videamur: cum ergo Ariani malo & hæretico sensu dixerint, Patrem voluntate genuisse Filium, aut certe fatendum putarint, necessitate & coacte genuisse, caute, nec nisi cum adiecta explicatione,

his terminis utendum est. Et peculiaris etiam ratio est de filio; tamen enim, ut ex Sancto Thoma dictum, verè dici possit, Patrem genuisse Filium voluntate, si concomitantia tantum designetur, non autem si principium; quia tamen eo loquendi modo hoc potius significatur, ideo sine explicatione, usurpandum non est; ut contra Vasquium disput. 160. cap. 4. recte Molina hic quaestione 41. articulo 2. disputat. 1. cum Filius nullo modo procedat ex voluntate velut principio, ut dictum affert. 3.

### DVBIVM VII.

*An aliqua processio in diuinis sit vera & proprie dicta generatio.*

S. Thom. 1. p. q. 27. a. 2.

Postquam rationem, & attributa communia diuinarum processionum & productionum explicauimus, restat, ut vniuseiusque processionis particularem rationem exponamus, quod iuxta binarium numerum duarum processionum, duobus sequentibus dubiis sigillatim faciemus.

Ad præsens vero dubium quod attinet, notandum est primo, ex Sancto Thoma hic quaestione 27. articulo secundo, non esse hoc loco quaestionem de generatione late sumpta, prout significat quamuis mutationem substantialem de non esse ad esse, seu quamlibet productionem substantiæ ex præiacente materia, siue ea substantia sit animata, siue inanimata, iuxta Aristotelem 5. Physic. tex. 7. & passim in libris de generatione; sed est quaestio de generatione substantiæ strictè & particulatim sumpta, prout solis viuentibus conuenit. Quo modo definitur ex Sancto Thoma hic quaestione 27. articulo 2. & lib. 4. cont. gent. cap. 11. *Origine sue processio viuentis à principio viuente conuenit, in similitudinem naturæ.* Quæ definitio colligitur etiam ex Aristotele 8. Eth. cap. 12. & 7. Metaph. cap. 8. & 1. de generat. anim. cap. 1. & 2. & lib. 2. de anim. cap. 4. & communiter recipitur non solum à Thomis, sed etiam à cæteris Theologis in prim. dist. 13. quam defendunt etiam recentiores, speciatim Molina hic quaestione vigesima septima articulo secundo, Gregorius de Valentia quaestione 1. pun. 2. Suárez lib. 9. de Trinitate. cap. 1. num. 4. Vasquez disputat. 113. cap. 1. & optimè etiam probatur ab ipso Sancto Thoma quasi per inductionem: Id enim cui omnes eiusmodi particulæ definitionis conueniunt, dicitur natum, seu Filius generantis; secus, si aliqua particula desit; ut in capillis, vnguibus, vermibus, ex viuente productis videre est.

Notandum secundo, quod ad sensum eius definitionis attinet, ita habere communem & receptam doctrinam. I. Per principium viuens intelligitur principale agens, siue generans, ut abstrahatur ab illa controuersia, An semen sit animatum.

II. Per voculam, *coniunctum*, significatur generationem viuentis presse sumptam debere esse aliquo modo de substantia ipsius generantis; ita ut ex substantia, vel aliqua parte substantiæ generetur viuens; sic enim viuentia creata generantur ex femine, quæ portio quædam erat generantis.

III. Per similitudinem naturæ non ita præcise ac determinate intelligitur specifica naturæ similitudo, ut si qua hac etiam perfectior similitudo geniti cum generante reperitur, sit contra rationem generationis: imò verò potius quanto perfectior erit similitudo geniti cum generante, tanto perfectior & magis naturalis erit generatio. Quare nec vlla omnino proprie dicta similitudo inter naturam genitoris & naturam geniti requiritur: sed sufficit similitudo inter vtrumque respectu naturæ, hoc est, similitudo in habendo aut similem secundum speciem, aut eandem naturam; ita ut generatio, quæ ad vnitatem etiam naturæ peruenit, sit perfectissima. Per similitudinem igitur naturæ intelligitur, vel proprie dicta similitudo naturæ secundum rationem specificam, inter generantem & genitum, quæ diuersitatem numericam naturæ in iisdem requirit; vel identitas seu communitas eiusdem naturæ, ut ex communi recte Suarez lib. 9. cap. 1. num. 4. & Vasquez disput. 113. à num. 4.

IV. Eadem particula, *In similitudinem naturæ* cum processione, quæ per modum generis ponitur, coniungenda est sensu formali; ita ut ex vi processionis, qua talis est, ex propria ratione principii seu potentia, vnde emanat, in similitudinem naturæ producatur viuens, ut cum Sancto Thoma ibidem ad 2. communiter omnes notant, speciatim Gregorius de Valentia, Molina, Suarez. Quocirca etiam Caietanus hic quaestione vigesima septima articulo secundo, & alii quidam expositores ipsi definitioni eam particulam, *Ex vi processionis*, expresse addunt. Sed quia in ipsa definitione subintelligi poterat, ideo satis fuit Sancto Thomæ hic articulo secundo & quarto, & quaest. 35. articulo 2. & lib. 4. cont. gent. cap. 11. eam ad modum explicatum indicasse. Quod autem Vasquez disputat. 113. cap. 6. putat, nullam in hac particula vim faciendam, & frustra vel addi, vel subintelligi; cum satis ratio generationis per ceteras particulas explicetur, etiam absque hoc supplemento; singulare est, & minime probandum; præsertim quia ad diuersam etiam in aliis quibusdam rebus opinionem, à communi sententia Theologorum alienam, tuendam & stabiliendam tendit, ut dicitur dub. seq. His ergo positis, ad propositam dubitationem cum S. Thoma hic loc. cit. sequentibus assertionibus respondemus.

Assertio I. Processio filii in diuinis est vera & proprie dicta generatio. Ita Sanctus Thomas cit. quaest. 27. articulo 2. omnesque Theologi cum Magistro in 1. d. 3. & 4. & est de fide. Patet ex scriptura passim psalm. 109. vers. 3. *Ex utero ante Luciferum genui te.* Isai. 53. vers. 8. *Generationem eius quis enarrabit?* Ioann. 1. vers. 14. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Idem constat ex omnibus fidei symbolis; nam in Symbolo Apo-

stolorum,

stolorum, credimus in IESVM Christum Filium Dei Patris. Et in Symbolo Nicæno dicitur; *Genitum non factum*. Et in Symbolo Sancti Athanasii: *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. Vbi ex ipsamet antithesi patet, Filium proprie genitum dici; cum alias in scriptura improprie etiam *creatus* dicatur, ut quæstione prima dub. 2. dictum.

6 Ratio sumitur ex dictis: quia omnes particulae, in definitione generationis superius allata, processionis filii conveniunt. Est enim *processio viventis à principio vivente*, quia personæ à personâ, ex dub. 1. & quæst. 1. dub. 2. est à principio vivente *coniuuncto*; tum quia non est ex nihilo, ut Ariani dicebant, sed ex substantia Patris genitus; tum quia est per actum immanentem ex dub. 1. Denique Pater in natura identificatur cum filio, iuxta illud Ioanna 10. vers. 30. *Ego & Pater unum sumus*, ut dictum quæstione præceden. dubio octavo. Quare etiam recte à Concilio Nicæni Patribus filius dictus est Patri *homoisios*, hoc est, *consubstantialis*; cum Ariani illam vocem exosi, nõ nisi *homoisios*, hoc est, similis naturæ, dicerent. Quæ vox licet olim à quibusdam Patribus bono sensu tolerata fuerit, ut videre est apud Hilarium lib. de synodis sub fin. & apud Athanasium epist. de synodis; nobis tamen, quia ab Arianis malo sensu inuentam & obrusam, fuisse nunc constat, omninõ respicienda est, ut recte Vasquez disputat. 109. cap. 5. & dictum supra q. 1. dub. 1.

7 Quod præterea in definitione generationis dicitur, *in similitudinem naturæ*, eo etiam sensu productioni filii convenit; quia est non solum in similitudinem, sed etiam identitatem naturæ. Denique talis est ex vi processionis; quia est processio per intellectum, cuius est producere, seu exprime verbum, quod ex sua ratione est similitudo obiecti cogniti: & quidem substantialis & perfecta, si vti in proposito sit, intellectio sit perfectissima; cum è contrario affectus amoris, ex sua formali & abstracta ratione non sit similitudo rei dilectæ, sed quidam motus & inclinatio in eandem, ut pluribus dicitur dub. seq.

Et recte notat Sanctus Thomas eod. articulo secundo, quamvis ratio generationis latè acceptæ non conveniat diuinæ generationi, quia non exit de potentia ad actum, convenire tamen ipsi propriam rationem generationis viventium, quæ à tali imperfectione abstrahitur; licet alioqui in rebus creatis ratio primæ generationis quasi per modum generis includatur etiam in generatione viventium.

8 Assertio II. Persona per diuinam eiusmodi generationem procedens vere ac proprie est Filius æterni Patris. Est itidem de fide certa, & ab omnibus Theologis recepta apud Sanctum Thomam & Magistrum locis citatis. Patet similiter ex Scriptura psal. 2. vers. 7. & Heb. 1. v. 5. *Filius meus es tu*. Prouerb. 30. v. 4. *Quod nomen est eius, & quod nomen filii eius, si nescis?* uti etiam SS. Patres interpretantur apud Iansenium ibidem. Idem clare habetur Math. 3. v. 17. & cap. 17. v. 5. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Matth. 16. vers. 16. *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Marci 14. vers. 61. *Tu es Christus*

*Filius Dei benedicti?* IESVS autem dixit illi, *Ego sum*. Et passim Christus in scripturis DEVM Patrem suum nominat. Idem habetur in omnibus symbolis: In Apostolico; *Et in IESVM Christum Filium eius*: In Nicæno; *Et in unum Dominum IESVM Christum, Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia secula*. In Athanasiano; *Alia est enim persona Patris, alia Filii*. &c. *Sed Patris & Filii, & Spiritus sancti, una est diuinitas, æqualis gloria, coætærna maiestas: Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus*. &c. Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus. &c. *Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus*. &c. *Vnus ergo Pater, non tres Patres; vnus Filius, non tres Filii*. &c. Ratio est euidentis ex dictis: quia Filius nihil aliud est, quam viuentis (præcipue vita intellectuali) productum à viuentis per propriam generationem: nec dubium, Filium esse Patris Filium; cum hæc sint correlatiua.

Assertio III. Processio Filii est processio Verbi, secundum intellectum. Ita Sanctus Thomas & Magister locis citatis: & est de fide contra veteres & nouos Valentinianos, Samolatenos, & Sabellianos, qui hæc inter se distinguentes, damnantur ut hæretici à SS. Patribus, vt videre est apud Irenæum lib. 1. cap. 1. & lib. 2. cap. 18. Athanasium orat. cont. Arianos, & in epist. de decretis Nicæne Synodi, & Basilium in orat. cont. Sabellianos. &c. cum tamen Verbum in diuinis, & Filius sint vna & eadem persona, adeoque vnum & idem, tam quoad naturam, quam quoad personam, ut probauimus quæstione prima dub. secundo, & patet maxime ex Ioann. 1. vbi idem qui prius dicebatur Verbum, postea dicitur Caro factum, & unigenitus: *Et Verbum Caro factum est: & vidimus gloriam eius, gloriam quasi unigeniti*. Item 1. Ioann. 5. v. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in celo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres vnus sunt*. Et mox vers. 10. *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*. Etv. 20. *Psalmus in vero Filio eius*. *Hic est verus Deus*. &c. Ratio est: quia alias aut essent quatuor personæ in diuinis, aut certe Filius excludendus esset à numero personarum, quorum vtrumque est contra fidem, Plura cit. quæstione præceden. dub. secundo & hic dub. seq.

#### DVBIVM VIII.

*Utrum sit in diuinis alia processio à generatione Verbi; & in quo proprie à generatione differat.*

S. Thomas 2. p. q. 27. a. 3. & 4.

Quatuor sunt hæc de re assertiones Sancti Thomæ locis citatis, quarum tres priores sunt de fide certæ; quarta autem communiter recepta inter Theologos.

Assertio I. Datur in diuinis alia processio à generatione Verbi. Ita S. Thomas artic. 3. ex communi omnium. Patet ex scriptura Ioann. 15. vers. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit,*

ille

ille testimonium perhibebit de me. Vbi fit mentio Spiritus sancti procedentis à Patre, velut personæ distinctæ à filio: quod etiam constat ex illo Ioann. 14. v. 16. *Et ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum; Spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere. Idem habetur in omnibus symbolis: In Apostolico; Credo in Spiritum sanctum: In Nicæno seu Constantinopolitano; Et in Spiritum sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: In Athanasiano; Spiritus sanctus à Patre & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens. Idem ex instituto definitum est in Concilio Constantinopolitano I. contra Arianos, Eunomianos, ac præcipue Macedonianos, diuinitatem Spiritus sancti, & æqualitatem cum Patre negantes. Ratio sumitur tum ex sequenti assertionem. Tum quia iam superius quæstione prima dubio primo, & hic dub. 1. probatum est, tres esse personas in diuinis, & duas processiones.*

2 **Assertio II.** Hæc processio est secundum voluntatem, adeoque Amoris. Ita Sanct. Thomas cit. artic. 3. Estque recepta ab omnibus antiquis Patribus; & significatur ipso nomine Spiritus; quod cum de Deo personaliter siue notionaliter dicitur, non nisi motionem aliquam, seu inclinationem à voluntate procedentem significare potest; siquidem voluntatis est, moueri quodammodo in rem amatam. Vnde Sanct. Thomas cit. quæst. 27. articulo quarto *Nomine Spiritus, inquit, vitalis quædam motio & impulsio designatur, prout aliquis ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum.* Ratio est: quia cum processio in diuinis existat secundum actiones immanentes, vt dictum dub. 1. necesse est, vt non minus secundum voluntatem, quam intellectum detur processio; quandoquidem etiam in humanis, non minus in voluntate, respectu actionis amandi datur terminus productus, quam in intellectu, respectu intellectionis; vt satis aperte docet etiam Sanct. Thomas cit. articulo tertio. Est enim amor formaliter, & præcipuo significatu non factio; est tamen qualitas, quam impossibile est sine actione produci, neque alius huius actionis terminus esse potest, quam qualitas, seu actus amoris in facto esse, vt habet communis Philosophia, & iuxta S. Thomam loc. cit. recte notauit Caietanus hic quæstione vigesima septima articulo tertio. etsi repugnare videatur Gregorius de Valentia quæstione prima pun. 3. vbi contra Caietanum simpliciter negat, in rebus creatis aliquid procedere per actum amoris, velut terminum.

3 **Assertio III.** Hæc processio non est generatio. Ita Sanct. Thomas cit. quæst. 27. artic. 4. Est de fide ex scriptura, in qua non solum Filius distinguitur à Spiritu sancto, & huic commune solum attributum procedentis, illi etiam geniti & filii tribuitur, vt ex citatis testimoniis assert. 1. & dub. præcedenti patet; sed aperte etiam mentio fit Vnigeniti Dei Filii. Ioann. 1. v. 14. *Vidimus gloriam eius, quasi vni- geniti à Patre.* Et v. 18. *Vnigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarrauit.* Et Ioann. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum vni- genitum daret.* Quod si vni- genitus est Filius Dei; Ergo nec plures filii, nec

plures geniti, nec plures generationes. Idem constat ex omnibus symbolis. Nam in symbolo Apostolorum dicitur, *unicus Filius.* In Nicæno, *Vnigenitus;* in Athanasii symbolo expresse dicitur, *Spiritus sanctus à Patre & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Idem docent SS. Patres, qui constanter negant, Spiritum sanctum esse filium, aut natum seu generatum. Ratio assertionis paulo post inquiretur.

4 **Assertio IV.** Processio Spiritus sancti recte dicitur, tum spiratio, tum absolute processio. Ita Sanct. Thomas artic. 4. ad 3. & communis Doctorum; qui vt processionem, sic etiam spirationem aliam vocant actiuam, aliam passiuam; vt illa sit actio spirantis; hæc terminus spirationis actiuæ. Ratio primæ partis est: quia quævis actio recte denominatur à suo termino, cum ergo hæc sit processio spiritus, non immerito vocatur spiratio. Secunda pars declaratur. Quia scriptura non alio nomine, quam *processionis,* Spiritus sancti productionem exprimit. Quare etiam Athanasius in symbolo verbis citatis, aliique SS. Patres, vt & Scholastici frequenter, absolute etiam processionis nomine vtuntur, ad specialem Spiritus sancti procedendi rationem significandam; nomen commune, vni rei quasi singulari, vt sæpe fieri solet; appropriantes; ideo, quod eares proprio nomine; ab initio ad hanc rem proprie significandam imposito, careret. Cuius rei rationem bene assignat S. Thomas loc. cit. *Deum enim, inquit, nominare non possumus nisi ex creaturis. Et quia in creaturis communicatio naturæ non est nisi per generationem, processio in diuinis non habet proprium vel speciale nomen, nisi generationis (illa scilicet, quæ est generatio.) Vnde processio, quæ non est generatio, remansit sine speciali nomine: sed potest nominari spiratio, quia est processio spiritus.* Ita S. Thomas. Vtrum verò processionis nomen generaliter, an specialiter vsurpetur, ex subiecta materia, & circumstantiis colligi debet.

5 Cum autem hæc ita se habeant, & apud omnes Orthodoxos certa & recepta sint, in ratione tamen assignanda, cur processio Spiritus sancti non sit generatio, non parua difficultas est. Et ratio difficultatis est. Quia processionem Spiritus sancti conuenire videtur tota definitio generationis propriæ ex S. Thoma dub. præced. allata. Est enim *processio viuientis à principio viuente coniuncto, in similitudinem naturæ, etiam ex vi processionis diuinæ, qua talis est; quia in Deo ad intra nihil potest procedere, nisi per communicationem eiusdem naturæ, seu quod sit, consubstantiale procedenti, vt patet.*

6 Ob hanc causam multi SS. Patres non dubitant, hac in re, suam fateri ignorantiam, libere professi, se huius rei rationem reddere non posse. Ita Gregorius Nazianzenus orat. 5. de Theologia, Augustinus lib. contra Maximinum cap. 14. & aperte Damascenus lib. 1. fid. orth. cap. 10. vbi ait: *Et quidem generationem & processionem inter se differre compertum habemus: ceterum quis huius differentiæ modus sit, prorsus nos fugit.* Horum hæsitacionem ex Scholasticis sequuntur Magister in prim. distin. 13. Ariminen- sis ibidem quæstione prima. Gabriel quæst. vnica, Maior quæst. 16. artic. 2. & fere Scotus d. 13. quæstion. vn.

7 Ex iis vero, qui ratione dissoluere hanc diffi-

culta-

culatatem conantur, alii alias assignant rationes. Primo enim Anselmus in Monolog. cap. 53. & Petrus Alliaccensis, in 1. sent. secuti Augustinum lib. 15. de Trinit. cap. 26 hanc rationem assignant, quia in Deo Verbum procedit ab vno, ideo est genitum: nihil autem procedens à duobus, nisi altero vt Patre, altero vt matre, est filius.

Secundo Richardus de Sanct. Victore lib. 6. de Trinitat. cap. 18. Alensis 1. part. quæst. 42. mem. 2. & 3. Maior in 1. d. 13. quæstione prima. rationem esse dicunt, quia Verbum ita accipit naturam à Patre, vt eam etiam possit communicare, & re ipsa communicet Spiritui sancto; Spiritus sanctus autem non ita à Patre & Filio naturam accipit, vt eam possit alteri communicare.

8 Tercio idem Alensis 1. p. quæst. 43. mem. 1. Bonaventura in 1. d. 13. quæstion. 2. ad 3. Richardus d. 13. articulo primo quæstione tertia docent, ideo Verbum procedere vt filium, quia procedit modo secundum naturam; quia per intellectum: Spiritum sanctum autem procedere secundum voluntatem; eo nimirum procedendi modo, quo Adamus à Deo voluntate factus est; & ideo non esse Filium.

Quarto Durandus in 1. d. 6. quæst. 2. num. 16. indicat, ideo Spiritum sanctum non procedere vt filium, quia non procedit per modum naturæ, spectando principium processionis; sed per modum voluntatis: eo quod procedat à pluribus eiusdem gradus & perfectionis, quorum vnumquodque per se sufficiens esset ad eundem terminum producendum. Quæ rationes omnes parum videntur solidæ, vt facile cogitanti patebit; & speciatim Durandi super hac re doctrinam iam supra dub. 6. refutaui-

9 Quinto igitur Torres hic quæst. 27. artic. 2. & Vasquez disput. 113. cap. 7. refutatis omnibus tam supradictis rationibus, quam ea, quæ à nobis sexto loco referretur ex Sanct. Thoma, & nunc communiter inter Theologos recepta est, nouam rationem adferunt & tuentur: nimirum ideo Spiritum sanctum non esse filium, nec per generationem procedere; quia licet procedat ex vi processionis similis in natura, hoc est, eiusdem cum Patre & Filio naturæ, non minus, quam Filius à Patre, non tamen procedit vt imago Patris; quia non procedit per modum Verbi formaliter representatiui rem cognitam; nec adeo etiam Patri aut Filio representat, aut representare potest seipsum; cum se in Spiritu sancto non cognoscant.

10 Sed hanc doctrinam prolixè ac merito refellit Suarez lib. 11. de Trinitat. cap. quinto & sexto. Primo, quia falsum videtur, & contra Sanct. Thomam, vt videbimus, ac receptam Theologorum sententiam, non minus Spiritum sanctum, quam Filium, procedere vt similem in natura, ex vi processionis, qua talis. Secundo, quia esse imaginem representatiuam prototypi, conuenit omni rei, quæ ex vi processionis, qua talis, in natura aut figura ab altero procedit vt similis: & tamen nec omnis talis imago, nec Spiritus sanctus, etiamsi ita similis procedat, est Filius, vt aduersarij fatentur. Tercio, quia prius est aliquem esse Filium, quam imaginem representatiuam Patris, nec adeo in hoc

propria & essentialis ratio filii consistit, vt ex definitione communi generationis facile colligitur: quis enim vnquam ita naturalem generationem definiuit? Quarto non tam certum & indubitatum est, Spiritum sanctum non esse imaginem Patris & Filii, quam certum est, non esse Filium: illud enim, quidam Orthodoxi subinde dixerunt; hoc vero nunquam, vt suo loco quæstione quarta dub. secundo dicitur.

Denique etsi hac de re non sit hic locus disputandi, verius tamen fortassis est, Patrem & Filium non tantum cognoscere se in seipsis, aut in Verbo, sed etiam in Spiritu sancto, non quidem vt in imagine, sed vt in suo termino & correlatiuo simili in natura, non quidem vt cognoscendi ratio secundum nostrum modum intelligendi formaliter sit ipsa relatio, seu terminus correlatiuus, qua talis, (sic enim, relatiua simul sunt natura & ratio) sed vt ipsa sane persona Spiritus sancti, qua formaliter diuina persona est, sit ratio etiam quædam obiectiua cognoscendi Patrem & Filium, à quibus procedit: eo fere modo, quo effectus in nobis dicitur ratio cognoscendi causam, vt dicitur quæst. quarta dubio secundo.

11 Sexta igitur communis & vera ratio, quam tuemur, est S. Thomæ hic quæst. 27. artic. 4. vbi disertè tradit, processionem amoris in diuinis non debere dici (nec adeo esse) generationem; assignata hac ratione: *Ad cuius euidenciam, inquit, sciendum est, quod hac est differentia inter intellectum & voluntatem, quod intellectus fit in actu, per hoc, quod res intellecta est in intellectu secundum suam similitudinem: voluntas autem fit in actu non per hoc, quod aliqua similitudo voluti fit in voluntate; sed ex hoc, quod voluntas habet aliquam inclinationem in rem volitam. Profectio igitur, quæ attenditur secundum rationem intellectus, est secundum rationem similitudinis; & in tantum potest habere rationem generationis; quia omne generans generat sibi simile: profectio autem, quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis, & mouentis in aliquid. Et ideo quod procedit in diuinis per modum amoris, non procedit vt genitum, vel vt filium, sed magis procedit, vt spiritus. Quo nomine quædam vitalis motus & impulsio designatur, prout aliqui ex amore dicitur moueri, vel impelli ad aliquid faciendum. Ita S. Thomas.*

12 Quæ verba perspicue hunc sensum reddunt; ideo Spiritum sanctum non procedere vt filium; quia ex vi & propria quasi ac specifica ratione processionis, qua talis, non procedit similis in natura Patri & Filio, qua talis, inquam, non præcise ratione quasi subiecti, quia est in DEO ad intra; hinc enim non possunt distingui processionem in diuinis, cum hac ratione omnes processionem sint in similitudinem seu identitatem naturæ, vt notauit ipsèmet Sanct. Thomas citat, articulo quarto ad primum. Sed qua talis formaliter, adeoque per talem potentiam, nimirum per voluntatem, non per intellectum est: cum hoc sit proprium intellectus ex suo genere, non voluntatis, vt mediante verbo mentis, quæ est similitudo quædam formalis rei cognitæ, assimilet sibi, ipsique etiam intelligenti, (saltem vt informato

per speciem, qua constituitur in ratione proximi principij cognoscens) rem cognitam; idque etiam perfecta & substantiali similitudine naturæ, si intelligens sit perfectissimum, ut est Deus.

13 Quam proinde rationem hoc sensu ex mente S. Thomæ tuerentur non solum Caietanus ead. q. 27. a. 4. & q. 35. a. 2. & Ferrariensis 4. cont. gent. c. 11. sed etiam omnes discipuli & interpretes S. Thomæ, in quibus etiam Gregorius de Valentia q. 1. pun. 4. Molina q. 27. a. 4. Suarez cit. lib. 11. c. 5. esto interim ea ratio non sit ita evidens & certa, quin de ea (minus certè, quam de alia quacunq; hætenus allata) dubitari possit, ut notavit ibidem Gregorius de Valentia: tamen si S. Thomas supposita processione per intellectum & voluntatem, eam videatur habuisse pro evidente.

14 Huic addit Suarez cit. lib. 11. c. 6. n. 14. etiam hanc rationem; quod Verbo ex vi & modo processionis suæ communicatur diuina natura, ut intellectualis est, atque adeo secundum propriam rationem essentialem, qua talis natura est; Spiritui sancto vero formaliter communicatur essentia diuina, solum sub ratione amoris, qui non ita formaliter & per se primo constituit essentiam Dei: vnde non procedit similis in natura ex vi & formalitate processionis suæ. Sed quæ ratio supponere videtur, nullam esse distinctionem, etiam secundum rationem nostram, inter diuinam essentiam, & actuaalem Dei notitiam, cuius contrarium docuimus supra disput. 2. quæst. 2.

15 Atque ex his facile etiam dissolui potest argumentum Vasquez, quo rationem S. Thomæ, & communem euertere conatur, hunc in modum: vel Filius procedit similis in natura, ex vi processionis, quatenus est per intellectum, aut quatenus est per talem intellectum: non quatenus per intel-

lectum; sic enim omnis processio per intellectum esset generatio; Ergo quatenus est per talem intellectum. Cum ergo additur illa pars definitioni generationis, *Ex vi processionis*, non de processione per intellectum in vniuersum intelligenda est, sed de tali processione, qua Verbum procedit, scilicet diuini intellectus: sed si ita loquamur de processione Spiritus sancti; eodem modo procedit similis in natura, ex vi talis processionis, nempe per diuinam voluntatem: Ergo Spiritus sanctus non minus erit genitus, quam Filius.

16 Respondeo, Verbum procedere à Patre in perfectam similitudinem, seu identitatem naturæ, formaliter quatenus est per intellectum in tali natura; cum enim ratio formalis & abstracta processionis per intellectum hoc habeat, ut id quod procedit ab eo, procedat ut simile ipsi; idcirco quando ea processio fit in natura perfectissima, qualis est diuina, necesse est, ut ea processio per intellectum fit secundum perfectam & substantialem similitudinem naturæ. E contrario vero, quia ratio formalis & abstracta processionis per voluntatem hoc non habet, ut id, quod à voluntate procedit, procedat simile amanti, idcirco ea processio, quatenus formaliter talis & per voluntatem est, hoc sibi nec in natura quidem perfectissima & diuina postulat, ut id quod procedit, procedat ut simile in natura: sed vtrumque tam quod procedens ab ea terminus procedat similis producenti, quam quod procedat in perfectam similitudinem, solum fit quasi ratione subiecti, quia in Deo est, & ipsa processio diuina est; propria interim & abstracta ratione processionis per voluntatem sibi neutrum deposcente. Contra quam rationem hoc modo explicatam nullam vim habent exceptiones, & instantiæ Vasquez, quamuis operosè multiplicatæ.

### Q V Æ S T I O III.

#### De Relationibus, notionibus, originibus, seu actibus notionabilibus, ac proprietatibus personarum; & constitutione earundem.

S. Thomas 1. p. q. 28. 32. 40. 41.

**R**actat quidem S. Thomas de hac re in diuersis quatuor quæstionibus; sed quia hæc omnia magnam inter se connexionem & affinitatem habent; nec ferè melius, quam ex mutua eorum inter se comparatione intelligi possunt, idèc omnia simul vna quæstione explicanda proponimus. Absoluetur autem hæc quæstio sex dubitationibus. I. An, quæ, & quot sint relationes reales in Deo. II. Quomodo ab essentia, ac inter se, & à personis distinguantur. III. Vtrum relationes personarum in Deo sint de essentia, ratione, & conceptu diuinitatis, de quæ ea in abstracto formaliter prædicentur; & an vicissim essentia diuina sit de ratione & conceptu relationum. IV. Vtrum relationes reales in Deo formaliter sint perfectiones & quales; & quomodo ratione earundem multiplicentur in diuinis tum transcendentia cætera, tum existentia. V. Quid, & quot in Deo sint notionès, originès, seu actus notionales, ac proprietates personarum; & quomodo hæc tum inter se mutuo, tum ad relationes se habeant. VI. Quanam ratione primo ac formaliter constituantur & distinguantur persone diuine; an per proprietates seu relationes personales, an per originès, seu actus notionales; an vtriusque, seu neutris.